-30
A. L. rec. 7
P. o. lat. 1664 9/7

Philologie 267.
V c 38.
9a
<36614783550011
<36614783550011
Bayer. Staatsbibliothek

9a

ORATIONES LATINÆ

VIRORUM

RECENTIORIS ÆTATIS

DISERTISSIMORUM

GRÆVII. WYTTENBACHII. MURETI. HEMSTERHUSII FACCIOLATI. ERNESTI. CHELUCCI. BENCII. MAJORAGII PERPINIANI. PALEARII. EICHSTADII

IN

USUM JUVENTUTIS LITERARUM STUDIOSÆ COLLEGIT ET BREVI ANNOTATIONE

INSTRUXIT

ANTONIUS BAUMSTARK

PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET ARTIUM LIBERALIUM MAGISTER PROFESSOR FRIBURGENSIS

GYMNASIAL-BIBLIOTHEK FREISING

FRIBURGI

TYPIS ET SUMTIBUS FRATRUM GROOS

1835

Cat

zur

Studienanstalts-Bibliothek

in

Regensburg

1841.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

LECTURIS

S. P. D.

ANTONIUS BAUMSTARK.

Quod literarum studiosa juventus imprimis latini ac graeci sermonis cognitione imbui et erudiri solet, ejus rei duplex maxime consilium habetur; alterum ad humanitatem *) et verum salutaremque animi cultum pertinet, alterum ad ipsius orationis facultatem et promptam dicendi scribendique facilitatem; illud vehementer commendatur honestissima sua dignitate, hoc instat urgetque graviter ob ipsam necessitatem, quae tam late patet et apud plerosque omnes imperio suo ac nimia quadam potentia ita dominatur, ut palam profiteri nullus dubitem, hujus unam

*) Quandoquidem enim 1) *literarum* solus *homo* capax est, 2) *humanam* naturam, h. e. ingenium, mentem, animum, moresque *literae* expoliunt, ut tamquam magis *homines* simus et eo latius a brutis sejungamur, 3) *homo* naturâ ducitur *sciendi* cupiditate, eumque adeo 4) vel maxime *literae* decent, *propterea studia literarum appellantur nomine humanitatis.* Ernest. Clav. Cic. s. v.

necessitatis rationem firmissimum fundamentum et gravissimam causam esse retentae adhuc retinendaeque in gymnasiis antiquarum literarum disciplinae.

Scilicet honestarum artium studia ob eximiam virtutem et egregiam praestantiam depraedicas? Plerique omnes surdi adstant in tuo sermone! Quid? Negat non nemo!

Rei utilitatem et necessitatem explicas? Erecti intentique audiunt!

Nimirum et parentum et discipulorum vulgus satis bene perspiciunt, futuro theologo, juris perito, medico, latini sermonis intelligentiam et aliquam copiam necessario comparandam esse; at ipsam romanarum literarum gravitatem earumque magnum ad animi cultum momentum plane ignorant. Unde fieri solet, ut latini sermonis studium ab longe plurimis non modo diligenter curari et foveri sed etiam incitari et augeri advertas, graecam autem linguam a bene multis negligi et segniter coli; quam scilicet, unis theologis, si Dis placet, necessariam, in futuram, quod ajunt, oblivionem addiscere sibi videntur. Illud porro latini sermonis studium ita amplectuntur, ut non tam ipsas literas latinas cognoscere, quam solius sermonis firmam et volubilem facilitatem ac quotidiani usus copiam parare cupiant. Cujus rei vulgaris prorsus et humilis ratio adeo valet ac veluti grassatur, ut ipsa quoque gymnasiorum virtus, dignitas, ac praestantia fere ex sola discipulorum versatili et mobili latinae elocutionis facultate aestimari soleat.

Cujus aestimationis fundamentum quamquam non plane improbo, tamen, nisi adhibita cau-

tione, probandum esse non censeo. Etenim licet negari nequeat, latini sermonis facultatem satis rectam atque laudabilem etiam sine ipsa literarum romanarum cognitione parari et locum habere posse *), nihilo tamen secius ea tantum schola merito summa laude digna est, cujus alumni, post emensum disciplinae stadium, utramque rem salubriter conjungant, ut non solum latine dicendi scribendique facultate valeant, sed ipsarum literarum eleganti et satis docta cognitione ornentur.

Verum enim vero ut ut haec res se habet, prudentis profecto et intelligentis magistri vel maxime interest, ut, quicunque disciplinae suae traduntur, si minus ad frugiferam literarum romanarum cognitionem perveniant, at certe latini sermonis facilem et expeditam quandam copiam et usum consequantur. Quod egregie effici potest lectitandis et imitandis eorum virorum scriptis, qui recentioribus temporibus latinae facundiae laude praeter ceteros floruerunt **). *Etsi* enim *nemo dubitat*, inquit *Ruhnkenius*, *quin juventus*, *ad latinam eloquentiam informanda, in veterum scriptorum, maxime Ciceronis lectione continenda sit*, *utile tamen est*, *unum alterumve e disertis recentioribus cognosci, ut ejus exemplo via ratioque imitandi fa-*

---

*) Quam rem reapse nimis probaverunt Jesuitarum scholae, quarum tamen non modo vitia erant, sed virtutes aliquae.

**) Talis autem imitatio ut bonae frugis plena exsistat, duabus rebus efficitur. Crebris enim et assiduis scribendi exercitationibus accedant colloquendi, disputandi, et disserendi pericula.

cilius intelligatur *). Cui gravissimo testimonio viri latine doctissimi, et harum rerum intelligentissimi arbitri, gravius etiam pondus accedit ex suffragio *Dan. Wyttenbachii*, qui, *Equidem*, inquit, *saepe animadverti homines, qui primum ad Ciceronis lectionem accedunt, magis capi ac delectari scriptis Mureti et similium; non quo horum oratio minus latina ideoque facilior sit, sed quod ratio materiaque nostrae aetati nostrisque ingeniis magis aptae sunt. Horum eos lectio quasi blanda manu ad veteres ducit, estque veluti ἐπίβαθρα seu gradus et aditus ad veteres, sed purus ille castusque, unde nil sordium ad ipsa eorum sacraria afferamus. Certe, si quid ego ad scribendi facultatem profeci, quod pro rei magnitudine exiguum esse non ignoro, sed si quid profeci, hoc magnam partem debui lectioni operum Mureti, quae adolescentem mira suavitate deliniebat et ad Ciceronem alliciebat* **). Cujus judicii veritas jam diu ante Wyttenbachium ita obtinebat, ita clare perspiciebatur, disertorumque recentiorum lectio latina in Germaniae scholis per proxima saecula adeo dominabatur, ut ipsi veteres scriptores aliquamdiu non modo contemti jacerent, sed, ingruente veluti barbarie, paene solum vertere juberentur.

At vero, ut in Wyttenbachii verbis paullisper insistamus, legendi sunt Muretus et similes non tam ad ipsam sermonis intelligentiam parandam,

---

*) Vide Ruhnk. Praef. ad Mureti opp. T. IV.

**) Vide Wyttenb. Bibl. Crit. III. p. 115. Alia omnia sentit *J. Chr. Jahnius* in Annall. Phil. et Paedag. a. 1834. T. IV. p. 456.

quam ad imitationem eloquentiae latinae instituendam, „*quod eorum ratio materiaque nostrae aetati nostrisque ingeniis magis aptae sunt.*“ In qua quidem imitatione quicunque ex solis veteribus scriptoribus atque imprimis ex ipso Cicerone proficiscendum et proficiendum censent, nae illi adolescentum ingenia egregie ignorant, neque minus a veritate aberrant, quam qui imitationibus discipulorum oratoriis argumenta ex rerum civilium, morum, literarumque historia afferunt. Immo res communes proponendae sunt, ad quarum tractationem sensu communi et sola mentis acie opus est, non doctrinâ et eruditione, quae in gymnasiorum alumnis justa et firma esse nequit. Quas illi res si accurate, si dilucide, si pure aliquo modo et emendate explicare et exponere didicerint, profecto erit cur ipsis adolescentibus, erit cur scholis scholarumque magistris prosperam suam felicitatem frugiferamque disciplinam et laeta doctrinae incrementa ingenue ac toto animo congratulemur.

Meae igitur rationi meoque consilio „*Eloquentiæ Latinae Exempla*“ ab *Aug. Matthiaeo* iterata vice edita non admodum consentanea sunt. Qui Vir Clarissimus quamquam ex Muretinis operibus complures orationes ejus generis, quod a me postulatur, libro suo inseruit, recepit tamen alia scripta multa, quae magis philologo, quam gymnasiorum alumno conveniant. In quorum numerum non dubito referre quaedam ex opusculis *Ernesti* oratoriis, veluti *Epistolam ad Stiglitzium* et *Narrationem de Matthia Gessnero*; ut nihil dicam de *Ruhnkenianae* facundiae exemplis, quae omnia ad unum, quantumvis egregia, ab studio et doctrinae modulo, qualis in gymnasiorum discipulis statui et desiderari potest, aliena esse

videntur. Quibus quid est tandem rei cum *Tiberii Hemsterhusii* studiis criticis, cum *Doctoris Umbratici* infelicibus ineptiis, cum docta subtilitate *Præfationis ad Schelleri Lexicon*? Ac quanta denique, quaeso, omnis generis historiarum cognitio requiritur ad accuratam et prudentem intelligentiam Ruhnkenianae orationis *De Graecia artium ac doctrinarum inventrice!* Videlicet is est error vulgaris multorum doctorum et vehementer perniciosus, qui in erudienda scholarum juventute *philologiam* spectant et *philologos* moliuntur!

Ruhnkenium ipsum lectioni recentiorum disertorum favere cognovimus, qui saltem de *uno alterove* eorum loquitur; sunt tamen qui in *unius* Mureti lectione continendam esse juventutem doceant neque illum ipsum nisi *privatim* a discipulis tractari jubeant. Quorum virorum sententia nimis severa ac morosa in ejus generis opinationibus vanis ponenda est, quae multae adhuc temere dominantur in rebus scholasticis et magis ex hominum umbraticorum tristitia derivari et excusari, quam ex juventutis ingenio firmari et commendari possint. Etenim si verum est, quod nemo negat, non unum aut duos ex ipsis *veteribus* scriptoribus, sed complures eosque maxime insignes juventuti tradendos et explicandos esse, cur tandem, quaeso, ex *recentioribus* disertis *uni* Mureto dignitatis palmam et salubritatis laudem vindicandam esse statuamus? Quidni adolescentes, studiosi romanae facundiae imitatores, et sermonis et rerum et jucundae varietatis causa, arbitrio suo et libera optione plures ex eloquentissimis nostrae aetatis scriptoribus latinis adeant atque cognoscant? Nihil hercle est, quod impediat, modo talium scriptorum oratio ita sit pura,

emendata ita, nihil ut inde sordium contrahatur. Sordes autem absunt non ab uno Mureto, absunt a Graevio, Ruhnkenio, Hemsterhusio, Wyttenbachio, Ernesto, Paulino, Bencio, Majoragio, Perpiniano multisque aliis, absunt a Facciolati casta gravitate, quem immerito Matthiaeus indignum censet, qui juventuti ad imitationem pro exemplo ponatur. Quorum omnium quamvis in uno alterove naevi (a quibus ne Muretus quidem se immunem praestitit) deprehendantur, a quibus sanequam cavendum est adolescentibus nostris, tamen in universum vere latini sunt et imitatione bene digni. Nam, ut Eichstadii verbis utar, singula verba non faciunt artificem scribendi, sed verborum compositio, orationis, sententiis congruae, habitus colorque romanus. Nos quidem, si profiteri hoc licet, non pudet in scribendo perspicuitatis majorem quam elegantiae rationem habere, ita, ut saepenumero haud inscii committamus, quae carpendi reprehendendique copiam faciant iis, qui Ciceronianorum morem et sectam instaurare cupiunt et in oratione latina non nisi singula verba aucupantur *). De qua re ita mihi persuasum est, ut in annotatione, quam libello meo ad calcem subjunxi, non nisi vitia sermonis notarem, reliqua autem securus praetermitterem, ubicunque non naevi occurrerent, sed ea, quae licet a Ciceroniano more recedentia communis linguae latinae usus suscepisset.

Muretini igitur ingenii et eloquentiae quantumvis ardens amator, tamen neque Kayseri **) scripta Mureti selecta, neque Kraftii ***) eclo-

---

*) Vide infra p. 293.

**) Heidelbergae 1809. 8.

***) Nordhusae 1826. 8.

gas Muretinas satis probabam. Unde quum fieret, ut ipse has variorum varii argumenti orationes colligerem, imprimis id spectabam, ut discipulorum commodo inservirem et salutari exercitationi prospicerem. In qua re nisi plane a consilio aberravero neque meae me exitus spei fefellerit, fore confido, ut studium meum aliarum quoque scholarum alumnis prosit. Quod quum effecero, neque lusisse operam neque perdidisse videbor.

Dabam Friburgi Badarum Idibus Octobr. Anni M.DCCC.XXXIV.

INDEX ORATIONUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

I. Graevii Oratio de fide et veritate religionis Christianae - - - - 1

II. Wyttenbachii Oratio de vi et efficacia historiae ad studium virtutis - - 26

III. Mureti Oratio de laudibus literarum - 51

IV. Mureti Oratio de utilitate ac praestantia literarum humaniorum - - - - 60

V. Mureti Oratio de moralis philosophiae laudibus - - - - - - 71

VI. Hemsterhusii Oratio de mathematum et philosophiae studio cum literis humanioribus conjungendo - - - - 82

VII. Facciolati Oratio de studio philosophiae 99

VIII. Ernesti Prolusio de philosophia populari 114

IX. Ernesti Prolusio de artis bene cogitandi et bene dicendi conjunctione - - 123

X. Ernesti Oratio de Eloquentia - - 134

XI. Paulini Oratio de studio poetarum ad literas et eloquentiam necessario - - 156

XII. Paulini Oratio de felicitate viri literati 168

XIII. Paulini Oratio de probitate viro literato necessaria - - - - - - 180

XIV. Paulini Oratio de usu et necessitate eloquentiae in foro et hodiernis judiciis 194
XV. Bencii Oratio cur adolescentes aliquot in dicendi studio minus proficiant - - 210
XVI. Majoragii Oratio de contemnendis obtrectatoribus - - - - - - 222
XVII. Majoragii Oratio de parentum in erudiendis liberis atque adolescentium in studiis optimarum artium officio - - 233
XVIII. Perpiniani Oratio de arte rhetorica discenda 264
XIX. Palearii Oratio de concordia civium - 281
XX. Eichstadii Deprecatio latinitatis academicæ 291

Bayerische
Staatsbibliothek
München

I

JOHANNIS GEORGII GRÆVII

O R A T I O

DE

FIDE ET VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

Habita Ultrajecti Anno MDCLXIV.

Esse vim quandam divinam et immortalem, quae cuncta fecit, cuncta movet, tuetur et regit, omnium mortalium mentibus insitum est et ingeneratum. Non enim instituto aliquo, aut more, aut lege haec opinio est constituta, Deum esse; sed manet ad unum omnium firma consensio, quoniam ejus notionem ipsa natura hominum impressit animis. Hinc nulla gens tam vastis est et barbaris moribus, tantaque immanitate efferata, ut apud eam non aliqua Dei sit suspicio. Quamvis autem de hoc omnium natura consentiat, ut id verum esse necesse sit, fuerunt tamen, hominesne dicam, an belluae, qui omnem religionem funditus tollere summis viribus et omnibus ingenii nervis gigantea quadam audacia sunt conati. Et hi quidem

ii praecipue fuerunt, qui prae reliquis sibi arrogarunt splendidum sapientiae nomen, quique in abditis rerum causis pervestigandis consenescebant. Non enim de faece plebis et ex pullatis circulis quidam in pestiferos hos errores lapsi sunt, sed qui summae sapientiae nomine sibi placebant, qui coeli immensa spatia metiebantnr, qui literis et argutiis insolescebant, qui initia rerum et originem mundi perspexisse totiusque naturae rationem exploratam habere se putabant, in hunc furorem et amentiam praecipites acti sunt. Diagoras Atheos et Theodorus, qui aperte Deum sustulerunt, clarissimi sapientiae antistites illa, qua floruerunt, tempestate sunt habiti. Quid? Abderites Protagoras, qui, cum in principio libri sic posuisset, *de Diis, neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*, Atheniensium urbe et agro est exterminatus, cujusque libri in concione sunt combusti, nonne maximus et disertissimus illius temporis sophista fuit? Praetereo infinitos alios. Merito igitur Plato, in libris de legibus, de Physicorum (sic enim qui naturam rimari conati sunt, appellabantur) temeritate et impietate conqueritur. Illorum nempe operâ religionem apud multos eversam dicit: sublata vero religione, neque leges neque judicia neque mores constitui posse. Nam ubi Numinis metus animos minime continet, parum leges et civilia constituta proficiunt. Sic enim, ait Plato, illi statuebant, omnia quae sunt, vel naturae vi, vel casu, vel artificio facta sunt. Et opera quidem vehementer illustria, naturâ atque fortunâ; minima autem arti et consilio tribuebant. Coelum namque, ignem, terras, maria, sidera, et reliqua omnia, quae cernimus in mundo, vi naturae ratione carentis et temerario concursu facta fuisse dicebant. Cum enim ita casus tulisset, ut calida frigidis, arida liquidis, dura mollibus, gravia levibus apte coniungerentur, tum coelum, et astra, et animantia, et has

rerum omnium formas, quas videmus, exstitisse. Artem vero humanam naturae vim imitari, et inanes quasdam rerum imagines et formas efficere. Homines autem non artificio factos, sed ex se artificium peperisse. Ea igitur opera, quae arte constarent, cum essent ab hominibus facta, longe inferiora esse illis, quae a natura, nihil sentiente, formata sint. Operibus autem hominum artificio constitutis religionem et Deos annumerabant. Prudentium namque consilio factum esse, ut hominum cupiditates Numinis metu frenarentur, ut cuncti mortales opinarentur, esse quandam naturam divinam, omnia contuentem et animadvertentem, et pro cujusque vitae ratione vel praemium vel supplicium judicio rectissime constituentem. Re autem verâ non ita esse, sed vim divinam aut non esse, aut ab ea res humanas minime curari, aut facillime muneribus a puniendo maleficio deduci. Hos sui temporis Physicos in eo loco, memoratu dignissimo, Plato redarguit, et tam impiam et sceleratam opinionem plenissima gravitatis et acuminis oratione convellit. Utinam vero tam insanientis sapientiae consultos prisca tantum illa, plena caecae noctis et superstitionis, vidissent saecula, nec talia monstra nostra quoque tulisset aetas in tanta luce Christianae religionis, cui indelebilis macula ab iis fuit inusta. Quis nescit, ne de aliis dicam, Ochinos, Vanninios, et qui non ita pridem ex hoc sinu nostro prodierunt, homines quidem sine tribu et nomine, sed sapientiae opinione valde turgentes, nec in rebus naturalibus pervestigandis leviter versati, qui, ut viderentur sapere, Coelum vituperarunt et Christianam disciplinam condemnarunt stultitiae. Horum deterrimos et pestilentissimos errores refellere, fidemque ac veritatem sanctissimae nostrae religionis fundare ac stabilire pro mea copia hac hora conabor. Quod ut commodius fieri possit, eorum argumenta prius operae erit commemorare.

Quomodo potest, inquiunt, in hominis sapientis rationem cadere, ut credat illum hominem summi Dei filium esse, quem viderit inopem, contemtum, abjectum, et afflictum, vulneribus praeterea concisum, contumeliis laceratum, insignique dedecore et ignominia deformatum? Primum enim, quid Dei filium impellere potuit, ut ita secum humanam naturam conjungeret, ut morti obnoxius fieret? Num ut hominum vitae prospiceret? At naturae adversatur, ut mors vitae causam adferat et is, qui mortis atrocitatem a se defendere et propulsare minime potuit, aliorum vitam constituat. Deinde cum Dei majestas immensa et infinita sit, hominis autem naturâ vix quidquam humilius et fragilius, is homo, qui statuit, Deum ita se abjecisse, ut hominum gratia verus homo fieri vellet, multum de divina majestate detrahit, et sibi plurimum arrogat et assumit. Quo quid scelestius vel insolentius dici potest? Numen enim divinum ad nostras miserias transferre, facinus impium est: humanam vero naturam in divina sede locare, superbum nec ullo modo tolerandum. Deinde quaerimus, num potuisset Deus nulla alia ratione, quae non esset dignitati illius indecora, genus humanum e sempiterna miseria liberare? potuisset certe, si verum est, potentiam illius nullo termino circumscribi. Non dicimus, quam parum credibile sit, sic naturam divinam cum humana conjungi, ut utraque in unam personam coalesceret. Ut igitur id omittamus, quî convenit arbitrari, Deum maluisse hominibus cum dolore et cruciatu, cum dedecore et ignominia, et sine ulla dignitatis imminutione consulere? An dedecus mediocre fuit, non dico in crucem tolli, non virgis concidi, non maledictis vexari, sed humanis necessitatibus servire, et morbis vitae communis implicitum distineri? Si temeritas igitur in Deum non cadit, et summa temeritas est, malle

quidpiam cum dolore et ignominia, quam cum gaudio et honestate moliri, verisimile profecto non est, Deum, cum utrumvis illi liberum fuisset, dolorem acerbissimum jucunditati, extremum dedecus honestati, sine causa praetulisse. Postremo quod minus sapiens consilium cogitari potuit, cum supplicia sceleribus coërcendis instituta sint et homines praemiis ad honestatem alliciendi et invitandi, quam iis, qui acre studium ad honestatem contulerint, supplicia proponi? At vero illis, qui pietatem unice coluerint, crucem exemplo Dei ipsius, quem colitis, ingenue defixistis: nec aliam esse salutis viam, praeter eam, quae crucis studio continetur, affirmatis? At si sensus, si communem vitam, si rationem, si Philosophorum decreta consulimus, in crucem beatam vitam adspirare non posse videbimus. Nam etsi fuere quidam, qui contra disputarent, ii non argumentis tantum, sed omnium derisione delusi jampridem siluerunt. Natura enim, quam optimam vitae magistram ducimus, hoc animis nostris insevit, nullo modo fieri posse, ut, qui doloribus summis afficitur, florens atque beatus sit. At vos contra naturam in cruce vitam beatam ponitis. Summâ igitur eloquentiâ vobis opus est, ut sententiam sensibus, opinionibus, rationi, naturae denique universae contrariam oratione confirmetis. Sed vos in hoc valde ridiculi estis. Cum enim incredibilia dicatis, nullum tamen acumen in disserendo, nulla dicendi lumina, nullas orationis opes adhibetis. Duplici igitur ratione summae stultitiae significationem datis. Nam et quod stultissimum est, fortissime defenditis, et sine ullis eloquentiae opibus stultitiae defensionem suscipitis. Quis igitur vos audiet? Quis sequetur? Quis difficillimis decretis obtemperabit? Quis voluptates adspernabitur, ut crucem subeat?

Et his quidem argumentis aut horum similibus homines impii Christi humanitatem et crucem oppug-

nare, hoc est, ipsam arcem Christianae religionis invadere nituntur. Ea nunc refellemus, ac liquido declarabimus, eos, qui in Christiana disciplina sapientiam requirunt, in summa dementia versari.

Primum, inquiunt, *quid Deum movere potuit ut homo fieri vellet*? De qua re, quaeso, dubitatis? Num de potestate Dei? An de bonitate ejus? An de convenientia? Num deceat tantam majestatem ad tam miseram et obnoxiam sortem, qualis hominum est, se abjicere. Potestas quidem, ut de illa primum dicamus, est immensa, nec potest ullis finibus coërceri, aut viribus impediri.

***Ingenio minime consequi possumus*, ajunt. Num quemadmodum coelum factum fuerit, fuistisne jam ingenio consecuti? Quae potestas illa fuerit, quae astris splendorem, soli claritatem, lunae vim et efficientiam largita fit, mente et ratione consequimini? Non certe. Et tamen ita disputatis, quasi sit necesse, id, cujus vim ratione comprehendere nequitis, non esse. Quasi vero in rebus etiam minimis vim divinae providentiae possitis, quanta sit, animo perscrutari. Coelum, sidera, terras, maria, naturae pulchritudinem et concinnitatem, variam et propemodum infinitam animantium multitudinem praetereamus, et de rebus minimis loquamur. Poteritisne vim et solertiam divinae mentis in formicarum fabrica considerare? Cernitisne in illis virium pro corporis ratione magnitudinem? Num earum convictum et quasi rei publicæ societatem? Num motum et alacritatem, et ad depellendam famem admirabilem providentiam? Quod si nec in minimis rebus, quanta fuerit vis et potentia summi rerum omnium conditoris intueri potestis, quomodo opus omnium maximum et admirandum ratione et ingenio consequemini? Quod si ingenio vestro divinae potentiae magnitudinem metiri velitis, concidat omne coelum, astra ruant, terra desidat,**

natura universa funditus intereat opus est. Neque enim ullo modo consequi ratione possumus, quomodo haec omnia a Deo constituta [sint, ejusque numine cohaereant et permaneant, naturaeque suae statum in omni rerum varietate conservent. Non igitur ullam vim habet argumentum ab ingenii stultissima confidentia ductum. Si enim ex eo, quod non aliquid intelligitis, sequeretur, illud, de quo dubitatis, non esse: nihil omnino esset, quando constat vos nullius omnino rei earum, quae a Deo factae sunt, rationem comprehendere posse. Et quo minus quaeque res intelligitur, eo magis cernitur eam fuisse Dei consilio perfectam.

Quid ergo? Num de divinae bonitatis immensitate dubitatis. An ea (ut de potentia modo dicebamus) finibus ullis arceri potest? An terminis ullis circumscribi? An parum constat, neque potentiam a bonitate separari posse, neque a potentia bonitatem? Restat igitur ut videamus, num potentiae conveniat, num probitatem Dei deceat, hominum causa induere hominem. *Id*, dicitis, *Deo minime decorum est*? Fuisset quidem parum decorum, si hoc opere fuisset majestas illius imminuta, aut numen illius de statu convulsum. At cum nihil omnino sit, quod majestatem, quod statum et dignitatem summi atque sempiterni Numinis convellere aut imminuere aut immutare possit, tantum abest, ut hoc tam divinum beneficium Dei gloriam obscurare potuerit, ut eam multo clarius illustraret. Tunc enim Dei gloriam illustrari dicimus, cum ex illius operibus bonitas illius immensa perspicitnr. At neque coeli et terrae fabricatio, neque conditarum rerum hujus universi tutela, neque mundi totius imperium et administratio, neque innumerabilia beneficia in genus humanum collata tantam significationem divinae bonitatis habent, ut sint ulla ex parte cum hoc tam divino beneficio comparanda. Si

igitur, quo beneficium amplius est, eo magis bonitatem oculis omnium ingerit, et, quo magis bonitas exstat et eminet, eo gloriae lumen clarius splendet: quid esse magis perspicuum potest, quam eo opere, quod Deo indecorum dicitis, gloriam Dei fuisse non apud homines modo, verum etiam apud coelestes, infinitis, si ita loqui fas est, accessionibus amplificatam. Potestne fieri, ut, quod gloriam illustrat, indecorum sit, cum gloria a decore et dignitate distingui non possit?

Sed, ajunt, *si potestas Dei est infinita, quid illum impedire potuit, quo minus quavis alia ratione hominum vitae consuleret?* Nihil sane. Sed cum Dei perfecta sint opera, minime illius sapientiae et bonitati conveniebat, ut, opere clariore neglecto, opus minus clarum et amplum susciperet. *Cum dedecore tamen*, inquiunt. Quid tandem dedecus appellatis? Vidistisne Christi virtutem perculsam et abjectam? constantiam de statu deturbatam? honestatis lumen exstinctum? aut ullam flagitii maculam tantis divinae virtutis ornamentis inustam? An vos aliquod dedecus esse putatis, nisi quod est cum flagitio, turpitudine et impuritate conjunctum? Si recte Philosophiam colitis, illa vos docere poterit, nullum esse dedecus praeter turpitudinem: nullum decus praeter honestatem; supplicia virtuti dignitatem eripere non posse: illius autem decus et robur invictum illustrare posse. Quo enim vehementius virtus oppugnatur, eo clarius, quantum sit illius numen, ostenditur.

Contemtus tamen, inquitis, *et abjectus, vulneribusque deformatus, et in crucem ablatus fuit: multitudoque illum maerentem adspexit, et tamen vos neque hujus tantae humilitatis pudet, neque tantae imbecillitatis indicium taciturnitate comprimitis.* Contemtus quidem ab hominibus scelestissimis, qui bellum cum divina lege continenter gerebant: non a Patre, qui illum in

amplissima divinitatis sede locavit. Quo autem magis illum homines impurissimi contemnebant, et plagis concidebant, et omni crudelitate lacerabant, eo majorem et ampliorem illi sempiternae gloriae segetem suppeditabant. Nam improbitatis odium virtutem insignem facit. Et praeterea virtus tum maxime enitescit, cum maxime in illam perditorum hominum furor incurrit. Cum igitur perspectum fuisset, neque probra et convicia, neque inflicta vulnera, neque intolerandos dolores, neque acerbissimi cruciatus atrocitatem potuisse virtutem illius infringere, nonne constat divinam virtutem illius exstitisse? *Imo*, inquiunt, *virtus illius fracta et debilitata fuit. Lacrimis enim atque luctu se plane dolore victum esse declaravit.* O perversum de virtutis ratione judicium! Lacrimae enim doloris indicium continent, non victae virtutis argumentum. Dolor enim ex imbecillitate naturae lacrimas elicit: virtus autam eo clarior est, quo dolor est acrior et natura corporis imbecillior. Lacrimae igitur non afflictam virtutem, sed virtutis insignem victoriam demonstrant, quae tanto illustrior est, quanto fuit hostis, virtutis ipsius robore superatus, vehementior. Non pudet igitur nos lacrimarum, quae dolorem pro nobis susceptum declarant: quae societatem humanae conditionis indicant: quae clementiam nostri liberatoris erga nos magis claram et illustrem reddunt. Non enim ita magnum nobis beneficium attulisset, si pro nostra salute acerbos dolores minime pertulisset. Praeterea ideo lacrimatus est, ut lacrimas nostras abstergeret: quemadmodum et mori voluit, ut nos a morte sempiterna redimeret.

Id, ajunt, *natura non patitur*, *ut mors vivendi causam afferat.* Si de communi vita loquimini, ne vita quidem hominum potest mortis impetum ab aliorum hominum vita repellere. Si de potentia divina disputatis, parum, quantum sit illius Numen,

attenditis. Deus est, qui vitam eripit, qui ereptam restituit, qui voce tantum et imperio ea, quae non sunt, esse, vigere, sentire compellit. Vita, mors, salus, interitus illius numine continetur. Itaque ut pater optimus, ut princeps clementissimus mortis suae meritis atque virtute, pro filiis atque civibus admodum libenter oppetitae, viam omnibus, qui illum sequerentur, ad immortalitatem munivit.

At, inquiunt, *num hominum causa*, *quibus nihil est in vita fragilius*, *tantum facinus edidit?* Verum; et quo est eorum natura fragilior, eo clementia illius praeclarior est, quae genus hominum e luto fictum et in terram depressum atque demersum excitavit et ad certissimam spem cujusdam divinitatis erexit. Nunquamne vobis in mentes venit admirari, illum ipsum Dominum coelum, terras, ignem, maria et omnes denique naturas, quae coeli ambitu continentur, hominum causa condidisse? Non enim sibi, qui nullo domicilio, ut commodius habitaret, indigebat: non Angelis, qui mentes purissimae sunt neque ullam sedem corpoream, in qua locati sedeant, requirunt: sed hominibus tantum, quos solos ex omnibus animantibus imagine suae mentis illustravit, mundum clarissimis luminibus distinctum et variis opibus instructum et ornatum fecit, et opere admirabili perpolivit. Et tamen iisdem rationibus, si tunc, cum mundum aedificavit, in consilium fuissetis adhibiti, uti potuissetis. Hominum causa, quibus nihil est fragilius, tantum et tam praeclarum opus effecit? Argumentum quidem magnam vim habet ad celebrandam summi Domini clementiam: non autem ad eam labefactandam. Tanto enim beneficium mirabilius est, quanto illi, in quos locatum, minus illo digni sunt.

Praeterea noluit ille clementissimus Dominus, ut homines, quos ad sui imaginem finxit, et quibus terrarum imperium delegavit, ita se in terram abji-

cerent, ut non mentes ad ortus sui principium frequenter excitarent Deumque parentem agnoscerent. Qui enim ita se propter naturam mortalem contemnunt, ut nihil immortale atque divinum moliantur, hi brutis animalibus annumerandi sunt. Insitae namqne dignitatis obliviscuntur, nec intelligunt se esse ad imperium natos. Quamvis enim corpore sint fragiles et imbecilles, mente tamen et ratione, qua nihil est in omni natura praeclarius, immortales atque divina quadam forma praediti sunt. At homines contra naturae praestantiam, immemores officii, immemores laudis et honestatis, a Deo penitus aversi, sese libidini et impuritati dederunt. Itaque Pater optimus rationem inivit, quemadmodum homines, quos magnitudine regiae dignitatis exornavit, terras intueri desinerent et supera atque coelestia cogitarent: ut ita possent ipsius Patris summi munere ac beneficio in statum, unde conciderant, cum amplificata dignitate restitui. Ad quod efficiendum nullum remedium convenientius adhiberi potuit eo, quod Dei Filius adhibuit. Cum enim homo fieri voluit, ut nos secum foedere sempiterno conjungeret, cum poenas nostris sceleribus debitas ipse luit, ut divino judicio satisfaceret, cum pro hominum salute sanguinem profudit, ut eos sacris sanctissimis expiaret, immensae potentiae, sapientiae, justitiae, bonitatis monimenta constituit, quibus nos amore tantae benignitatis incenderet et ad studium justitiae acriter incitaret. Itaque nec audaces sumus, cum Deum hominem factum fuisse confitemur: in eo enim opere illius immensam potentiam et infinitam clementiam admiramur: neque superbi et insolentes; non enim salutem nostram meritis nostris, sed magnitudini immensae illius benignitatis adsignamus: et simul dignitatem nostram, quam scimus esse sanguine divino constitutam, multo acrius et diligentius nobis tuendam esse judicamus.

At, regerunt, *crucis species horrorem incutit*, *et homines a studio pietatis abducit.* Non videtis, igitur, miseri, quantum sit in Christo numen ac potentia? Nam, contra naturam crucis, Christi numine factum est, ut crux non exterreat homines, sed eos ad se acriter et vehementer alliciat. Quî fieri enim potuisset, ut humanum genus, cum natura ad voluptatem propensum sit et dolores extimescat, repente voluptates adspernetur, atque dolores contemneret, nisi illud vis divina ad tam praeclarum facinus impulisset? Cernitis innumerabilem multitudinem virorum, mulierum, virginum, et puerorum paene infantium ad crucis societatem inflammatis animis adspirasse, dolores contemsisse, tormenta neglexisse, sanguinem profudisse, summamque gloriam in cruciatibus summis constituisse, et dubitatis, quin tam divina constantia a divina virtute profluxerit? Quid enim eos ad Christum allexisset, nisi lux divina mentibus oblata, divinaeque sapientiae decreta, divini Spiritus afflatu et impulsu percepta, cognita, et constituta? Num voluptates, vitaeque lenocinia et blandimenta? At illis pro vitae deliciis supplicia constitui, fatemini. Num eloquentiæ admirabilis vis et magnitudo? At vos Christianorum magistris hoc quasi probrum objectatis, quod fuerint infantes, et artium humanarum prorsus imperiti. Quid ergo aliud esse potuit praeter vim divinam, quae animos coelesti luce completos ardore pietatis inflammavit, ut in doloribus summis summum virtutis praemium in hac vita collocarint. Qua eloquentia Plato, Graeciae vir sapientissimus, fuerit, ejus monumenta declarant. Magnus praeterea virtutis doctor erat, incredibilique semper studio elaboravit, ut homines ad virtutem cupiditate verissimae laudis incenderet. Athenis, cum nihil proficeret, relictis, Ægyptum, Siciliam, Italiam, ut inveniret, cui virtutem traderet, peragravit. Si virtutis opinio valuisset,

nemo fuit illis temporibus virtutis opinione praestantior. Si eloquentiae viribus insitae penitus opiniones evelli potuissent, nemo fuit Athenis (quae civitas eloquentiam aluit ad summumque perduxit), qui Platonem eloquentia superaret. Praeterea non labores ingentes et cruciamenta proponebat, sed homines ad virtutis studium virtutis ipsius illecebris invitabat. Sed quid tandem effecit? Quae vitia sustulit? Quas libidinis fibras amputavit? Quam rem publicam, cum valde cuperet, moribus et institutis recte constituit? Nullam prorsus. At nostri homines barbari, et inculti, atque totius doctrinae politioris ignari, orbem terrarum immutarunt, genus mortale refinxerunt et a vitae flagitiis ad studium religionis pietatis, justitiae traduxerunt, et homines innumerabiles tanto virtutis robore munierunt, ut prae verissimae dignitatis studio mortem et cruciatum contemnerent. Unde colligitur, id tantum opus divinae virtutis atque sapientiae praesidio perfectum et absolutum fuisse. Libenter autem ab istis sanctissimae religionis hostibus audierim, cum multi homines olim sapientiae studio flagrantes in decretis suis vitam beatam ponerent, num illorum quispiam pro illis decretis suis vitam in summum discrimen induxerit? Num mortem, ut constantiae testimonio disciplinae suae fidem confirmaret, oppetendam existimarit? Num, ut aliis salutarem disciplinam traderet, cum vitae periculo pestiferas opiniones ex animis evellendas susceperit? Non certe. Aut enim id, quod sectae tuendae gratia disputabant, minime sentiebant: aut infirmum assensum decretis suis habebant: aut hominum salutem ad se pertinere minime putabant. Si decreta sua minime vera credebant, fallaces; si infirmum assensum illis habebant, opinatores; si salutem hominum negligebant, inhumani et nullo modo sapientes erant appellandi. Cum vero contra videritis, innumerabiles homines pro Christi

fide, sanctitate, religione vitam in tormentis libenter abjicere, non tandem intelligitis, eos, qui sapientiae nomen captabant, insipientes fuisse: et eos, qui minime sapientiae nomen arrogabant, divinae sapientiae compotes extitisse? Ut enim opinionis imbecillitas et inconstantia est vanitatis et falsae sapientiae comes, ita constantia est semper cum sapientia vera conjuncta. Ergo cum nulla major unquam, non dicam in ullis gentibus, sed in illis etiam viris, qui summa ingenia ad exquisitam disciplinam contulerant, constantia in fide retinenda perspecta fuerit ea, quam Christiani in cruciatibus retinebant, dubium esse poterit, quin illi soli sapientiam consecuti fuerint? Quod minime mirum est. Coelum enim semper spectabant: Numinis opem noctes et dies implorabant: virtutis divinae magnitudinem sibi ad imitandum proponebant: Christi meritis innixi supra sidera sublimes efferebantur: divinae mentis agitatione beatorum regionem peragrabant: divinae mentis speciem, quoad licet et fas est, in hac vita mentis oculis usurpabant: amore tantae pulchritudinis incensi ferebantur: colloquio divino jucundissime fruebantur, eamque a Deo doctrinam capiebant, quam nullum humanum ingenium fuit unquam flagranti studio consecutum. Ergo cum eorum fides non esset hominum auctoritate nixa, sed divini spiritus testimonio confirmata, mirum videri non debet, tantum esse Christianae nationis robur, ut eam nemo possit de statu convellere. Habet enim hoc omnis homo, qui semel se ad Christi studium ardenter applicat, ut, quamvis cernat omnes homines diversam ab illo sententiam sequi et omnibus ob eam causam mortalibus, ut homo demens et communis sensus ignarus, ludibrio sit et illum cuncti ut furiosum et insanum fustibus insequantur, ipse tamen constans, erectus, et excelsus in omni rerum discrimine et malorum omnium tempestate permaneat.

Ipse namque verae sapientiae sibi conscius erit, et reliquos homines temeritatis et amentiae condemnabit.

At hoc, inquiunt, *summae temeritatis est*, *cum ab omnibus dissentias, tibi uni sapientiam insolenter arrogare.* Esset quidem, si ingenium suum omnibus ingeniis anteferrent: quod tantum abest ut faciant, ut naturam suam contemnant atque pro nihilo putent. Cum vero non judicium suum, sed divinum testimonium hominum vagis et errantibus opinionibus anteponant, sapientis hominis officium faciunt. At Deus est, qui in Christianorum animis insidet, qui eorum mentes illustrat, qui Christo testimonium dat. *Qui credit*, inquit Johannes, *in filium Dei*, *testimonium habet in se ipso.* Hoc autem satis experiuntur, cum expiati ab flagitiis, inflammati rerum coelestium cupiditate, longius extra corpus excurrunt, ut cum Deo, animo soluto ac libero, colloquantur. Tunc igitur specie divinae pulchritudinis incenduntur, miroque desiderio illius et ardenti cupiditate flagrant, et lacrimas cum admirabili jucunditate profundunt, et admiratione etiam interdum defixi vehementer obstupescunt. Hoc igitur qui sentiunt et percipiunt et cum maximo fructu saepius experiuntur, qui divini spiritus ductum et imperium sequuntur, qui ad firmam spem immortalis gloriae divinae mentis viribus excitantur, quomodo possunt aut hominum errante judicio commoveri aut corporis doloribus a mentis statu demigrare? Ergo si nemo sapiens est, nisi quem Deus erudit, et Christiani, quoties se ipsos a corporis consuetudine sevocant, ut Deum puro animo contemplentur, perfecte sentiunt, se coelesti disciplina divinitus admoneri, nonne satis constat, eos solos esse sapientes, qui Christi crucem subierunt et sese in illius studium, qui cruce configi pro nobis voluit, ardenti animo contulerunt? Neque enim sunt verbis eloquentia

humana ad persuadendum concinnatis impulsi, sed spiritus divini vocibus incitati. Quo circa mirandum non est, ab iis, qui Christum sequuntur, sperni voluptates, contemni dolores, vitae commoda pro nihilo duci, eorumque animos cupiditate divinitatis inflammari. Dei enim monitis et institutis in vita diriguntur: ope divina muniuntur: ad Deum sensu voluptatis admirabilis alliciuntur, et iccirco minime ullius hominis viribus aut insidiis possunt a Dei conjunctione divelli. *Quis nos*, inquit Paullus, *poterit separare a caritate Christi? Num aerumnae, aut angustia, aut afflictio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? Quemadmodum scriptum est, propter te quotidie morti tradimur, et quasi oves, caedi destinatae, ad mortem ducimur. Sed in his omnibus victoriam consequimur, ope illius, qui dilexit nos. Certus enim sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliquid aliud poterit nos separare a caritate Dei, quae est Christi Jesu domini nostri virtute confirmata.* Haec quidem Paullus non verbis tantum, sed multo etiam clarius factis ostendit; idem reliqui omnes, qui vestigia illius pressere, fecerunt, similique virtutis constantia dolores et supplicia pertulerunt, et usque ad extremum vitae halitum invicto animo pugnarunt, ut eam coronam adipiscerentur, quae est omnibus, qui pro fidei sanctitate dimicaverint, in coelo proposita. Quis autem hanc piissimorum et fortissimorum hominum virtutem exaggeravit? Quis illorum statum tam firmo praesidio munivit? Quis illorum animos tantis opibus instruxit, ut eos nullae unquam tempestates convellerent? Christi crux est illa, quae animos excelsos et invictos efficit et cupiditate immortalitatis incendit. Non igitur crux, ut dicebatis, exterret, sed allicit et invitat, studiumque pietatis inflammat. *Cum sublatus fuero*,

inquit Christus, *a terra, omnia traham ad me ipsum.* Christus igitur actus in crucem hunc ardorem in animis hominum incitavit, ut multi crucem omnibus opibus, omnibus commodis, honoribus, et emolumentis praetulerint. Et quo minus hujus tanti miraculi rationem perspicitis, eo clarius apparet, hoc amoris incendium esse divinis viribus excitatum.

His igitur argumentis profanorum hominum dilutis magna ex parte, restat ut videamus, quam conveniens et aptum fuerit divinae bonitati id, quod Christiana religio confitetur. In primis vero statuendum est, Deum alia, quae mente et ratione carent, alia, quae sunt ratione praedita, lege devinxisse. Ea enim, quae minime arbitrii sui sunt, ita moventur, ut nunquam sibi impositam legem transsiliant. Nec enim coelum motum et conversionem suam certis temporibus intermittit: neque sidera suo loco migrant: neque mare terras fluctibus obruit, neque tellus herbas et fruges effundere desistit: neque aliquid denique aliud, quod arbitrio suo careat, secus quicquam gerit, quam est illi a principio Dei lege et imperio constitutum. At illis formis atque naturis, quae rationis et consilii participes sunt, ita leges dedit, ut eis, utrum vellent, liberum relinqueret. Poterat enim Angelus, ut potest quilibet homo, qualis a Deo conditus est, vel legi parere, vel legem transgredi. Secus enim nulla divini judicii ratio constaret. Ea enim, quae naturam necessario consequuntur, neque laude neque vituperio digna sunt. Praeterea hoc est Dei bonitati propositum, ut nos sui similes efficiat. Hoc fieri non potest, nisi divinis virtutibus excolamur. Virtus autem non est, quae non sponte suscipitur. Cum igitur homines non cogendi et ad officium compellendi, sed modis omnibus invitandi et alliciendi fuerint, quae, quaeso, ratio commodior ad voluntates alliciendas et ad studium virtutis excitandum excogitari

potuerit eâ, quam clementissimus ille dominus et parens optimus, cum humanam naturam secum ita conjunxit, ut homo fieret, admirabili consilio consecutus est? Nulla prorsus. Quid est amore ad voluntates excitandas efficacius? *Ama, si vis amari*, vetus verbum est. Quid autem est ad excitandum amorem vehementius vera pulchritudine in oculis et adspectu proposita? Quae autem alia vera pulchritudinis ratio animo fingi potest praeter eam, quae divinae benignitatis splendore et magnificentia continetur? Quid autem magis divinam benignitatem in animis hominum defigere potuit, quam illud admirandum bonitatis exemplum, quo dominus pro servis, innocens pro maleficis, Deus pro impuris hominibus, mortem et cruciatum expetivit? An est aliquid virtute pulchrius et amabilius? Aut aliqua virtus illustrior ea, qua princeps sese pro suorum salute ad mortem offert? Non profecto. Agraulos Pandionis filia, quod se exitio patriæ amore devoverit, honoribus divinis affecta fuit. Codrum similiter iidem Athenienses miris in coelum laudibus extulerunt. Decii apud Romanos tantae admirationi fuere, ut eorum nomen immortalitati consecratum sit. Est enim hoc animis omnium hominum penitus insculptum, ut eos, qui vitam pro rei publicae salute in summum discrimen inducunt, divinos existiment. Plato eos, qui pro patria fortiter dimicantes occumbunt, heroes haberi eisque honores prope divinos institui jubet. Aristoteles hanc unam virtutem reliquis omnium virtutum laudibus anteponit. Hanc multi Philosophi laudibus plane divinis afficiunt; hanc homines disertissimi in coelum extulerunt. Ut autem virorum excellentium testimonia ipsiusque naturae judicium relinquamus, ipsum rerum omnium dominum legimus in sanctis literis hac una virtutis ratione saepe placatum fuisse. Cum enim Hebraeos delere statuisset,

et Moses se medium interposuisset, ut poenas populo debitas ipse pro omnibns, si ita opus esset, animo libente sustineret, ipse Deus sese a caede continuit et multitudini clementer ignovit. Haec igitur virtus non solum apud homines semper illustris et ampla fuit: verum et divino testimonio sic comprobata, ut in ea demum, quasi in quodam sacrificio magnificentissimo atque gratissimo singularis sanctitas summaque placandi numinis ratio constituta videatur. Si haec igitur heroicae virtutis officia summa sunt, si gloriosa, si praedicanda, si vehementer amabilia, si, cum a cive conferuntur, admiranda, si, cum a civitatis principe suscipiuntur, divina, quid erit existimandum, cum summus rerum omnium conditor pro hominibus, quos in se ingratos et sceleratos expertus fuerat, terras invisere, humanam formam induere, seque ad sacrificium pro omnibus offerre constituit, ut Patris Numen eis propitium redderet, illosque jam morti sempiternae destinatos in vitam sempiternam revocaret? Haec immensa Dei benignitas animadversa, non amoris incendium concitabit? Non animos ardore pietatis inflammabit? Non omnia vitae discrimina libenter adire compellet? Quid? quod Dei Filius crucis supplicio non modo immensae caritatis officio perfunctus fuit, verum et singulare justitiae munus exsecutus est? Sic enim Deus clementiam tuetur, ut justitiae simul partes singulari ratione suscipiat. Justitiae autem ratio flagitabat, ut juris divini hominum scelere violati aeqabilis compensatio fieret. Nulla autem vis erat in terris, quae violati Numinis injuriam pensaret. At sine debita offensae satisfactione divini juris ratio minime patiebatur, ut genus humanum omni scelere contaminatum, quod majestatem divinam offenderat, in gratiam a Deo reciperetur. Fuit igitur commodum, ut humana natura divinae conjuncta adeo locuples fieret, ut abunde

patri pro sceleribus humanis satisfaceret. Hoc igitur Christus a natura divina sumpsit, ut corpus illius sanctum, innocens, nulla omnino peccati contagione maculatum vim infinitam possideret, qua posset debitum, quo eramus omnes obstricti, dissolvere.

At, dicunt, *justum non est*, *ut innocens pro nocentibus poenas luat.* Siccine? Quid? si quispiam sponte sua, cum cernit hominem addictum a creditore trahi, pro illo pecuniam solvit, non est aequum, ut is, qui erat alieno ære vehementer obstrictus, aliena pecunia liberetur? Cum igitur Dei Filius, qui solus nos redimere poterat, pro nobis sponte sua debitum solvit, nonne videtis jure factum esse, ut nos illius sanguine in libertatem vindicaremur? *At indignum,* inquiunt, *est Dei clementia et aequitate*, *innocentis supplicio delectari*. Non supplicio delectatur, sed virtute, beneficentia et caritate, qua supplicium pro omnium salute contemnitur. Et interim hic summus justitiæ Magister eâdem operâ divinae caritatis atque justitiæ mirabile nobis exemplum proposuit. Caritatis quidem, cum sic statuit, ut filius pro omnibus mortem oppeteret et supplicia acerbissima pateretur: justitiæ vero, cum nos in gratiam recipere noluit, nisi prius idem filius debitum, quo eramus obstricti, dissolveret. Qui nobis filii unici sanguinem largitus est, quid ad salutem necessarium denegabit? Qui proprio filio non pepercit, sed ab illo poenas nostri sceleris expetivit, quae tandem supplicia nostris sceleribus, si fuerimus in tantum beneficium et munus ingrati, constituet? Christus igitur crucis supplicio simul et amorem probitatis excitavit et metum judicii severissimi nostris animis objecit. Et cum ad spem simul erigendi et metu coërcendi simus, rei utriusque salutarem disciplinam sanxit. Quis enim non speret adscensum sibi in coelum datum iri, cum cernat, salutem et dignitatem suam fuisse Christi, Dei Filii, sanguine

constitutam ? Quis rursus non divini judicii severitatem pertimescat, cum eundem Dei Filium pro alieno scelere tantis poenis excruciatum adspiciat? Præterea ille Princeps optimus habendus est, qui leges, quas sanxit, operibus comprobat, moresque suos in publico suis ad imitandum proponit. Omnes enim principum mores et instituta sequuntur. Princeps autem nobis summus atque sempiternus ipse Deus est. Veteris autem philosophiae praeceptum illud memoratur, quod est e sanctis literis haustum, DEUM SEQUERE. Itaque, ut etiam sapientia Graeca tradit, Deus nobis summa vigilantia et alacritate sequendus erat. Quomodo autem illum sequi et imitari poteramus, cum a nobis videri non posset? *Ex naturae*, inquis, *operibus cognosci poterat.* Recte mones. Sed illud etiam velim adjicias, quo tandem modo illum imitari debeo. Jubesne ut ipse coelum aliud, atque terram aliam, et animantia atque sidera faciam? Non, inquis: sed virtutem imitare. Eam igitur virtutem, quam imitari percupio, propius intueri volo. Aliter enim, quae virtutis ratio illi cordi sit, explicare non satis potero. Ne id igitur homines desiderarent, fuit immensae Dei benignitati et sapientiae consentaneum, ut Deus sub humana forma se ad homines docendos daret: ut non solum oratione justitiae disciplinam traderet, verum sanctissima vita et factis egregiis, quid Deo gratissimum esset, ostenderet. Superbia Deus graviter offenditur. Humilitate igitur et moderatione Christi explicandum fuit, quantum Deo sapiens animi demissio atque moderatio placeret. Vitae sordes et impuritates, effrenataeque libidines iram Numinis incitant: congruum igitur fuit, ut Dei filius exemplo suo castimoniam corporis et mentis integritatem sanciret. Crudelitas et immanitas cum Dei clementia bellum omni odio imbutum gerit: fuit igitur necessarium, ut Christus in oculis hominum omnia studia

vitæ ad beneficentiam conferret, usque adeo, ut etiam pro hostibus oraret. Est voluntas nostra a Dei voluntate penitus aversa: fuit igitur opus, ut illius exemplo, qui dicebat, *Non mea voluntas*, *sed tua fiat*, videremus, omnes actiones et cogitationes esse ad Dei voluntatem conformandas. Mentis effrenatæ rebellio, qua homines Dei imperium nefarie detrectant, Deum ab hominibus tuendis et conservandis avertit. Ideo consentaneum fuit, ut Christus obedientia sua numen patris nobis iratum placaret, et illis, qui deinceps illius jussis obedirent, causam salutis afferret. Et quia summa obedientia non in deliciis et vitae jucunditate, quam sponte nostra suscipimus, sed in laboribus atque doloribus, a quibus natura refugimus, aperte declaratur, commodum fuit, ut is, cujus obedientiâ nostræ rebellionis scelus erat expiandum, fieret obediens usque ad mortem, et non ad quodvis mortis genus, sed ad id, quo nullum erat detestabilius, nempe ad crucis supplicium. Cernitis jam animo, hostes Christi, quantas divinae sapientiæ opes in se crucis hujus disciplina contineat: cernitis compressam et edomitam libidinem et insolentiam: cernitis temeritatem et audaciam profligatam: cernitis opes immensas benignitatis, justitiae, obedientiæ explicatas: cernitis homines in ardentissimum studium ipsius incitatos: et tamen hæretis et dubitatis, neque crucis vim atque coeleste numen amplectimini? Si igitur Deus sequendus erat, si Deum sequi minime licebat, nisi videretur; si videri non poterat, nisi homo fieret, ut homines non verbis tantum, sed exemplis in verissimæ virtutis studium incitaret, quid potuit ad hominum salutem utilius et providentius fieri, quam ipsum Dei filium intueri, pro hominum salute confixum maledictis, concisum vulneribus, excruciatum doloribus, invictaque patientia hæc omnia perferentem, ut non modo poenas pro nobis lueret,

verum et nostros animos divinæ virtutis exemplo et invicta patientia confirmaret? Quis igitur ulli mortalium scrupulus potest inhærere defixus, si de potentia divina non ambigit, si Dei bonitatem nullis finibus arceri confitetur? Si nullum beneficium fuit magis immensæ bonitati consentaneum, quid relinquitur, quod hominum fidem impedire possit, quo minus animo grato id complectatur? Neque enim Dei naturam dicimus dolore affectam, neque immutatam, neque majestatem illius imminutam affirmamus. Quicquid enim molitur et efficit, sine mutatione efficit. In Christo quidem latebat, sed naturam universam suo numine continebat: et cum homo pateretur, Deum nullus dolor attingebat: sed tantum sub hominis veri forma et specie humani generis salutem constituebat. Admiramini quod homo fieri vellet? Admirationem auferte. Infinitæ namque bonitatis est, mentes sibi infinita ratione devincire. Nihil reliqui est quod homines conturbare possit, nisi muneris amplitudo, quasi quid magis immensae bonitati conveniens sit, quam immensum et infinitum munus et inexplicabile beneficium. Haec omnia cum ita perspicua sint, ut negari non possint, quis tam hebeti ingenio est, et tam angusta mente praeditus, ut iis argumentis Christi numen exstare et eminere non videat? non crucis vim et efficientiam admiretur? Et tamen erit quisquam, qui non ideo credere velit, quia rationes divinæ virtutis explorare non queat? An aliam rationem potiorem eâ, quæ potentiâ atque probitate immensa et infinita continetur, exquirendam existimes? Venitne tibi in mentem admirari genus insecti, corpore quidem perpusillum, genere vitae et instituti ratione vehementer admirandum? Apes enim rem acute considerantibus ingentem admirationem merito commovebunt. Quanta enim solertia favos efficiunt? Quam singulari artificio cellas distendunt?

Quanta sedulitate mella colligunt? Adde nunc ipsius operis et industriae fructum. Estne aliquid melle dulcius, atque ad multa mala depellenda salutarius? Cum vero mellis dulcedinem percipis, credis, illius suavitatem insecto, paullo musca grandiori, deberi? Credo, inquies. Quare? quia id oculis perspicis, et reliquis etiam sensibus usurpas. Ergo si apes et alvearia apud nos minime fuissent, et tam suavis liquor esset ex ultimis Serum aut Indorum terris ad nos allatus, et id tibi, quod nunc oculis cernis, aliquis enuntiaret, fidem certe non haberes. Quia vim et causam tam mirae suavitatis, in tam pusillis animantibus inclusam, perspicere nullo modo mente et cogitatione valeres, et sensibus id, quod esset a sensibus amotum, judicare non posses. Ergo si fidem sensibus tantum habendam censes, philosophiam desere, quae hoc secum deliberatum habet, ut sensus fallaces existimet, rationemque tantum in vita sequatur. Ergo quidquid a sensu fuerit remotum, quod ratio non possit exacte percipere, per te concidat opus est et ex omni natura penitus exterminetur. Quaero enim; num inclusam illam vim, quae ex terris viriditatem elicit, quae herbas, fruges, et arbores ex gremio ipsius telluris effundit, et flores et fructus atque semina gignit, oculis unquam perspexisti? Num, cum animantium varietatem, multitudinem, solertiam, usum, et sobolis propagationem animadvertisses, vim, qua vivunt, et sentiunt, et vario commoventur, exploratam et cognitam penitus habuisti? Quid coeli naturam tanto splendore collucentem, tam claris sideribus exornatam, tam singulari artificio perpolitam oratione referam? Quid orbium coelestium cursus varios atque dissimiles, rata tamen et stabili proportione colligatos? Haec quidem adspicis oculis, vim tamen, modum, legem et rationem, qua moventur, neque sensibus usurpas, neque ratione consequeris. Et tamen, cum ne minimarum quidem rerum causas

teneas, tam intoleranda superbia duceris, ut, quidquid non intelligis, in dubium voces, ita ut ne Deo quidem, qui est veritas sempiterna, fidem adjungas? Verissimum igitur est, Dei Filium hominem fieri voluisse, ut homines ab interitu sempiterno vindicaret: non a dignitate sempiterna discessisse, sed hominum naturam ad altissimum gradum dignitatis evexisse. Quomodo id factum fuerit ne curiose investiges, ne magnitudine divinae gloriae et sempiterni decoris cum tuae salutis interitu et aeterna macula tui nominis obruaris. Satis habe, quod certus esse possis, esse verissimum, quod Christiana religio confitetur. Id enim est a Deo signis testificatum: orbis terrarum mirifica conversione comprobatum: Jupiter de solio detrusus, Venus honore dejecta, Liber, Mercurius, Ceres, Æsculapius, et reliqui falsi Dei in exilium pulsi: Apis, Anubis, Osiris, Astarte, et omnia numina commentitia percussa, prostrata et profligatà sunt, totus orbis retextus quasi est et immutatus; Denique muneribus divinis, quae potentiam et convenientiam et benignitatem Numinis coelestis indicant, aperte declaratum est; ita ut nihil reliqui fiat, quod homines in vero pietatis studio incitatos possit retardare.

Faxit benignissimus ille Deus, cujus cultum profitemur, cujusque infinita in nos exstant immensae bonitatis munera, quae nulla mens humana, nedum oratio potest assequi, uti compressa nostrae voluntatis ac cupiditatum temeritate nos totos ad ejus disciplinam componamus; utique nos nullae fraudes, nullae insidiae, nullae voluptatum illecebrae, nulla tyrannorum feritas, ab ejus studio avocent et deterreant, utique tandem post emensum vitae hujus miserrimae spatium cum beatis illis mentibus sempiternae fruamur felicitatis jucunditate! Dixi.

II

DANIELIS WYTTENBACHII

O R A T I O

DE

VI ET EFFICACIA HISTORIÆ AD STUDIUM VIRTUTIS.

Quum ante sex hos annos Philosophiae professionem in hoc ipso loco auspicabar, minime quidem eram ab Historiae Veterumque Litterarum studio alienus, neque tamen ullo modo cogitabam fore, ut ipsarum etiam professionem in eodem loco auspicaturus essem. Acquiescebam in Philosophia, ut in laudatarum artium omnium parente ac procreatice: in eaque tradenda ita versabar, ut ipse docens quotidie discerem, neque progressuum, aut me meorum, aut suorum discentes poeniteret. Litterarum professionem tenebat Tollius, Vir Clarissimus, eamque tanto cum laudis fructu ornabat, ut haud facile vel ipse eam relicturus, vel ea ipsum dimissura videretur. Igitur nulla ratio apparebat, quo minus illum Athenaei nostri statum perpetuum aut diuturnum fore speraremus. At vero, quum nuper vicissitudo rerum humanarum hanc nostram opem fefellisset, intellexi, mihi quoque,

mutatis rebus, consilia mutanda esse: quumque Tollius Hagam discederet ad Serenissimi Gubernatoris, principis in hac re publica viri, filios erudiendos, ego Amstelodami mansurus praeclarum mihi ducebam, si possem apud nostram juventutem, id est, apud principis in hac re publicâ civitatis filios, tanti doctoris discessu vacantem provinciam explere, factam jacturam compensare, susceptum dolorem lenire. Respondit eventus consiliis meis, delata est mihi Tollii provincia, a Philosophiâ ad Litteras traductus sum. Qua in commutatione sentio fore, nonnullos, qui, mei meorumque studiorum ignari, levitatis me et inconstantiae accusent, quibusque purgare me debeam in principio hujus orationis, nec in eorum animis relinquere scrupulum, qui, ut ipsis ad audiendum, ita mihi ad dicendum obsit, quamquam non minus a meâ naturâ et ingenio quam ab hujus loci auctoritate abhorret, ut ipse de me multa dicam. Ego cum loco non sententiam mutavi, nec Philosophiae cum professione studium amoremque deposui: immo, ut antea eam et colui et aliis tradidi, ita in posterum eam et colam et aliis commendabo. Sed fuit haec semper studiorum meorum ratio, quae in primis ad Historiam et Antiquas Litteras referretur, ut in Philosophiâ diverterem, in Litteris habitarem: ut in Philosophiâ haberem instrumentum, in Litteris finem: ut in Philosophiâ mihi essent auxilia, in Litteris robur et firmamentum. Quis igitur aut non intelligat, Litterarum cognitionem semper mihi eo loco modoqne fuisse, ut magis per eam, quam per Philnsophiae cognitionem, et mihi et aliis satisfacere possem? aut quis, qui illud intelligit, jure me reprehendat, quod Philosophiae Litterarum professionem anteposui? Accedit alia causa, eaque gravissima et cum rebus meis arcte conjuncta. Ego, cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi muuera, tum per magnam ejusdem

cum natali meâ patriâ similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur causis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum judicio et voluntate me applicarem. Quare, si haec praecipue urbs mihi diligenda et colenda est, quidni eam ei diligam et colam eo studiorum genere, quod ipse prae aliis praecipue studiis semper et colui et dilexi. Non est quod hoc loco quidquam dissimulem: non est, quare animi sensum non aperte profitear. Dico, iterumque dico, me, delatâ mihi Litterarum professione, illud consecutum esse, quod semper et spectavi et optavi. Et, cum de ipsa professione laetor, tum vero quod ea mihi obtigit et hac mea aetate, aut florente aut certe nondum inclinatâ, et hac in urbe, antea tantis necessitudinibus obstrictus, novo hoc munere, tamquam novo vinculo, obligatus sum.

Hoc ego reputans facere nequeo quin continuo eo me convertam, quo me hujus diei solemnitas vocat, Vobisque, Consules et Curatores Amplissimi, gratias agam de voluntate erga me vestra, qui primo quidem mihi campum aperuistis in quo excurrerem et constrictam adhuc facultatem explicarem; deinde vero, ne ex hoc in alium discederem campum, in quem his ipsis diebus vocabar, mihi persuasistis ea liberalitate iisque rationibus, quae semper apud me tantum valebunt, quantum eas valere par est apud animum, qui et humanitatis et honestatis vim sentiat. Vobis item gratias ago de judicio vestro, quod Philosophiae mihi successorem constituistis, virum in hac doctrina primarium et omni laudis genere cumulatum. Magna est haec vestrae prudentiae laus, quod, plurimis maximisque de communi patriae salute curis districti, tamen Athenaeo nostro ita prospexeritis, ut si huic uni rei vacaretis. Duit Deus Optimus Maximus talem omnibus vestris consiliis successum!

faxit, socii vestri, reliqui hujus rei publicae gubernatores, vestram prudentiam sequantur! faxit, omnes patriae partes tam bene confirmatae sint, quam bene nunc Athenaeum nostrum illius viri accessione confirmatum laetamur! Ego, sive quid in me Philosophiam docente desiderastis, hoc Litteris docendis compensabo, sive nil in me desideravit vestra humanitas et indulgentia, ut hoc mihi conservetis judicium operam dabo, exemplo decessorum meorum, cum reliquorum, tum proximorum, Petri Burmanni Secundi, cujus obitum nondum eluximus, et Hermanni Tollii, e cujus dicessu praesentem adhuc molestiam percipimus: horum igitur exemplo, disciplinâ meâ ita instituendâ, ut, quoad ejus fieri potest, viri ex eâ prodeant Vestrum simillimi, nisi honoribus, at prudentia in rebus administrandis, et fortitudine in patriâ defendenda.

Jam Vobiscum, Clarissimi Collegae, quum antea me sociarent mutua collegii et amicitiae officia, eaque tanta quanta maxima et sunt et habentur, tamen, nescio quo modo, novus quidam animum meum sensus pertentans propius me Vobis adjungit et conciliat. Huic ego sensui obsequar studio, observantia, pietate: Vos ei, quaeso, respondeatis favore, benevolentia, indulgentia.

Et a Te quidem, Tolli, Vir Clarissime, depositam provinciam ita et suscipio et suscepi, ut tuis insistens vestigiis discipulos nostros ad eam Litterarum cognitionem ducam, per quam fiant iidem et rerum periti, et boni cives, et patriae defensores. Cumque Tu jam ei sis praefectus institutioni, quae plurimum in utramque partem valeat ad patriae statum, precor Deum Immortalem, ut per eam, quae in Te est, suavitatem animi, doctrinae, ingenii, fructus e tua institutione redundent in communem patriae salutem uberrimi. Tibi vero, Swindene, Vir Clarissime,

trado jam Philosophiae professionem, quam ego adhuc, quantum per virium mearum tenuitatem licuit, Socraticâ ratione tutatus sum, id est, saepius ad ignorantiae confessionem descendens, nec tam illud agens ut aliquid statuerem, quam hoc ut mihi caverem ne nimium statuerem. Hanc Tu nimirum rationem, Clarissime Swindene, multis partibus locupletabis et amplificabis praeclarâ tuâ illâ rerum physicarum mathematicarumque scientiâ. Quare et tibi professionem, et Te professioni gratulor doctorem: gratulor Te doctorem, et Athenaeo fructuosum, et urbi honorificum; et mihi jucundissimum.

Reliqua mihi oratio pertinebit cum ad omnes omnium ordinum Humanissimos Auditores, tum ex iis praecipue ad Vos, Ornatissimi Juvenes et Commilitones, qui Litteris Humanioribus studetis, earumque me doctorem et publice nacti estis et privato vobis judicio elegistis. Reliqua igitur mihi oratio eo pertinebit, ut intelligatis, Litterarum Humaniorum finem non in verbis, sed in rebus, esse positum: et vero in rebus maximis gravissimisque, quarum cognitio plurimum valeat ad bene beateque vivendum. Et quandoquidem de omnibus Litterarum Humaniorum partibus dicere majus est quam pro hujus horae angustiis, unam earum partem spectabo Historiam, atque ostendam: *Historiarum cognitionem magnopere efficacem esse ad studium virtutis et omnis honestatis.* Quod dum agam, rogo Vos, Auditores, omnium Humanissimi, ut attentas mihi benevolasque praebeatis mentes, non quidem alicujus meae facultatis exspectatione, sed ipsius argumenti ejusque praestantiae et gravitatis commendatione.

Si quidem propositam quaestionem ad probabilem exitum perducere volumus, ejus initium capiamus a definitione cum Historiae, tum Virtutis, ut intelligatur, quae sit earum conjunctio, quae ratio, quae

illius ad hanc vis et efficacia. Igitur, ut universe complectamur, Historia est narratio rerum gestarum cum temporum, locorum, hominumque significatione. Virtus autem, quamquam in eâ peculiariter definiendâ magnus est hominum dissensus, tamen in hac universâ descriptione plerique omnes consentiunt, ut sit perfectio, sive praestantia naturae, posita in utrâque animi facultate, intelligentia et voluntate, seu, ut vulgo dicunt, contemplativâ et activâ: cujus praestantiae haec sit vis, ut primo intelligamus, quid verum sit, quid falsum, quid bonum, quid malum: deinde, ut in omnibus actionibus ac tota vita bonum sequamur, malum fugiamus, neminem laedamus, suum cuique tribuamus omnibus, quoad ejus fieri potest, hominibus consulamus, efficiendo ut plurimis fruantur bonis, minimis laborent malis: denique, ut hanc vitae legem, tamquam rectam viam, constanter sequamur, ab eâque nullis voluptatum illecebris, nullis dolorum terroribus abduci nos patiamur.

Sed quum virtus non sit aliquid solitarium, quod per se solum esse et constare possit, sed debeat, ut vis in aliqua materia, sic ipsa in animo et natura intelligente inesse; age attendamus ad humanam naturam, ne forte Virtutis tantam fingamus magnitudinem, quanta in humanae naturae angustias cadere nequaquam possit.

Jam primum omnium constat, in hominis natura eam esse animi corporisque rationem et conjunctionem, ut omnis cognitionis initium sit in sensibus corporis, per quos veluti nuntios animo adferantur notitiae rerum externarum, id est, rerum corporearum, singularium, in facto positarum, certo tempori locoque adstrictarum. Videtis, Auditores Humanissimi, in ipso initio et materia cognitionis similitudinem Historiae cum naturâ? Videte porro progressum.

Infans primnm sensibus movetur, vel specie

aliqua clariore oculos ad se convertente, vel sono acutiore aures percutiente, vel tactu aliove sensu quamcumque corporis partem sollicitante, sive ad voluptatem, sive ad dolorem. Deinceps, compluribus animum subeuntibus rebus, similitudine colliguntur obscurae quaedam universales notiones, sive anticipationes: simul etiam harum comparatione profert se paulatim primus decori sensus, tum imitandi studium, in quo verissime Aristoteles partem humanae naturae posuit. Et sunt hujus imitationis duo quasi capita: alterum, ut infantes rerum simulacris et imaginibus mirifice gaudeant et magis etiam quam ipsis rebus' ipsique fingere semper aliquid studeant: alterum, ut eorum, quos quotidie vident et probant, hominum assumant et induant habitum, gestum, incessum, obtutum, vocem, vel inscii ad eorum imitationem inducti, vel datâ operâ similes iis fieri cupientes. Mox, ubi continuum sermonem intelligere coeperunt, novimus, profecto, ut narratiunculis rerum gestarum delectentur: ut a narrantium ore pendeant: ut interea famis et sitis cogitationem deponant: ut narrationem inchoatam relinqui et quasi abrumpi aegre ferant: ut ad rei atrocitatem horrentes, et magis etiam ad rei exitum, quem conjecturâ praecipiunt, trementes, eum tamen quovis modo audire velint: ut lacrimulas fundant commiseratione innocentium et afflictorum, eorumque defensoribus ac liberatoribus taciti apud se et gratias agant, et similes fieri cupiant: ut, simulatque cognoverunt, nunquam factum esse quod narrabatur, continuo, et rei tristis dolor, et laetae gaudium, ex mente evanescat: ut tamen verum sibi narrari postulent, et falsum pro vero narrantibus velut elusi ac decepti irascantur. O praeclara vitae magistra natura! O multis manifestisque indiciis conspicua! quae si diligenter observaremus ac sequeremur, hac certissima duce ad Virtutem perve-

niremus. Nunc, ut ex infantiâ in pueritiam, e pueritia in adolescentiam, ingressi sumus, ita ex aliis in alias manus, saepenumero ex malis in pejores, conjicimur, ubi naturae judicia opinionum commentis obruantur atque abstergantur. Sic enim se res habet, ut in mentibus nostris variae facultates tamquam chordae inditae sint, singulae naturâ sincerae, nondum tamen universae ad concentum conciliatae; sed quae, conciliatae rectâ institutione, tamquam concentum pariant Virtutem. Atqui hae chordae si ab imperitis manibus pulsentur et corrumpantur, singulae jam absonae quomodo universae fiant consonae? Si inepti, qui suos ipsi animos haud noscunt, juvenum animos formare aggrediuntur: si ineptis, quibus ipsis, quod perdant, ingenium nullum est, juvenum ingenia perdenda traduntur, ecquis tandem istius institutionis fructus exspectetur? Ita Virtus, quae existere nequit, nisi naturae bono succurratur, quomodo tandem existat, si naturae bonum etiam exstinquatur?

Praebet igitur nobis natura, sui quasi ansam, Historiam, qua nos ad Virtutem ducat, cum intelligentiae, seu contemplativam, tum voluntatis, seu activam. Et ad centemplativam quidem Virtutem Historia nos ducit duabus rationibus. Altera in ipsarum rerum cognitione cernitur, e qua civilis prudentia et rerum in omni vitae genere utilium perspicientia existit. Altera per cognitionem rerum gestarum ad res intelligibiles, sive abstractas, ut vocant, ducit: ad percipiendas doctrinas animos praeparat, earum origine, progressione, studiisque erga eas hominum enarrandis: itaque amaras, ut in proverbio est, doctrinarum radices dulces reddit. Quam rationem, quamvis manifesto loco a natura positam, incredibiliter homines, haud indocti etiam, aut ignorant aut negligunt. De quo neglectu magnus est campus dicendi, major etiam quam pro nostro instituto. Quare videamus

de activâ, id est voluntatis et morum, Virtute, propius illâ cum hujus orationis argumento conjunctâ.

Activae Virtutis fundamentum est contemplativa Virtus. Nec enim laudabile est factum, nisi e certo judicio existat: nec fortitudo, temperantia, justitia, aliunde efflorescunt quam ex rerum cognitione: quae nisi agenti subsit, ne actio quidem apparet, sed motus temerarius, tamquam corporis sensu carentis, aut belluae impetus. Neque tamen sola per se cognitio satis valet ad actionem. Nonne enim saepe, ac nimium saepe, fieri videmus, ut homines ea, quae bona faciendaque sibi judicaverint, tamen non faciant, quadam animi et voluntatis imbecillitate, sive metu retenti, sive cupiditate in contrarium delati: vident meliora probantque, deteriora sequuntur. Hujus calamitatis cum aliae sunt causae, tum haec praecipua. Virtutis praemia scelerisque poenae e longinquo et obscure apparent: Virtutis incommoda scelerisque praemia prope et manifesto apparent. Atqui, ut oculis corpora propiora majorem, remotiora minorem, sui praebent speciem, ita animis res cogitatae, absentes quidem leviorem habent sensum, praesentes acriorem inferunt motum et impulsum. Hic igitur robore quodam nervisque opus est, ne plus apud animum valeant praesentes vitii illecebrae quam absens officii honestatisque fructus: judicium, ut ad actionem fiat progressus, confirmandum est exemplis, quippe quibus remoti ac futuri actionum exitus repraesentantur ac propius adducuntur ad animum, ut iis tamquam praesentibus moveatur, atque adeo ratione obtemperet. Virtus enim ipsa non cadit sub sensus corporis, quae, si oculis cerneretur, admirabiles sui, ut dixit Plato, excitaret amores. Atque istam naturae inopiam supplet exemplum. Sed Poësis ficto utitur exemplo, Historia vero. Et quando ficti exempli magna est vis, quanta tandem veri exempli vis existimari debet?

Omnino moralis disciplina sine Historiae usu nulla esse potest. Quaeritis auctores hujus sententiae? 9.
Innumeros excitare possim. In re tam manifesta satis nobis unus est Jacobus Facciolatus, vir non minus Philosophiae scientiâ quam Romanae Eloquentiae facultate admirabilis. „Nempe, inquit, aut ipsa morum doctrina nihil est aliud, nisi Historia: aut ita cum Historia conjuncta, ut si caret exemplis, scholastica sit, jejuna, supervacanea. Tibi intus cane rigida et adducta illa Virtutum genera, quorum usu et possessione felicitatem definis. Nihil nobis hujusmodi persuadere poteris, nisi rerum eventu et hominum factis ostendas, quid possit pati humana conditio, minime nota illis, qui pallio inclusi intra parietes philosophantur. Quid fieri debeat, oscitantes audimus. At quum id factum esse intelligimus, nec sine fructu et a praestantibus viris factum, tum vero studio movemur conandi similia, tum aemulatione exardescimus.“

Socrates dicere solebat, perfectum sibi opus esse, 10.
si quis satis esset concitatus ad studium cognoscendae percipiendaeque Virtutis; quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam. Vere omnino ille. Nam, ut in corporibus duo haec cernuntur, primum motus, alterum iter et regula seu directio, ita in animis duae sunt causae efficientes Virtutis, quarum prior est in voluntatis impetu ac studio, posterior in via et progressu. Utraque causa, sed magis etiam prior illa potiorque, proficiscitur ab intelligentia rerum, in primis exemplorum, quibus animus et excitatur et ducitur ad Virtutem. Exempla porro maxime valent vera et historica: quorum efficacia a vero ipsa profecta verum parit cognitionis actionisque fructum.

Erat quidem optandum, ut sola nos per se ratio 11.
ad Virtutem duceret, nec exemplis opus esset; quae

movent quidem animum ac percellunt, sed, ut aït Seneca, stupentem ad speciosa non liberum relinquunt. Verum est haec naturae nostrae conditio, ut corporibus adstricti corporeis ducamur moveamurque imaginibus. Nec probanda est ratio eorum Philosophorum, qui morum praecepta ita tradunt hominibus, ut nudis et corpore solutis animis. Inest quidem animis nostris igneus vigor, ut ait Poëta, sed tantum quantum non noxia corpora tardant, hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Igitur molliores illae partes naturae, tristitiae, gaudii, spei, timoris, scienter tractandae: per corpus ad animum patefaciundus est aditus: inferiores facultates cum superioribus conciliandae, affectus ad rationem accomodandi ad ejusque auxilium convertendi sunt. Hoc est munus Humaniorum Litterarum, in primis Historiae; hic ejus finis, hic fructus.

Jam, ut omnis Virtutum cognitio debet in actionem abire nec sine actione Virtus vere dici haberique potest, ita ipsa tamen actio debet recte cognosci, sive, ut ajunt, Practicae Virtutis Theoria tenenda est. Quae quidem cognitio ab ipsarum usu rerum et exemplis peti debet. Nam quum duae sint viae ad rerum intelligentiam; altera in Praeceptis, altera in Experientia (haec a posteriori, illa a priori, vulgo dicta) ad excitandam confirmandamque Virtutem, quae ipsa debet esse posita in usu et actione, plurimum valet Experientia; quippe quae ipsa quoque unice in usu et actione versatur. Atqui Experientiae vicaria est Historia, quae cognitionem nobis repraesentat rerum, quamvis tempore locoque disjunctarum. Porro ad Virtutis progressum efficacissima est aliorum hominum virtutumque et vitiorum, quae in illis sunt, observatio. Ad hanc si quis afferat non nisi generalem notionem e praeceptis, tamquam definitionem e compendio, necesse est, cum in judicio de aliis

hominibus labi saepius et errare, quum ea, quae non nisi formâ aut gradu differunt, ipso genere diversa esse putaverit. Quem quidem errorem diligenter cavent, cum qui alias artes, tum qui Medicinam factitant, ad universam generis cognitionem adjungentes animadversionem causarum, quibus idem morbus diversas induit species, pro diversitate loci, tempestatis, sexus, aetatis, consuetudinis, vitae ante actae, aliarum rerum. Ergo, quod Medici faciunt in corporum judicio, hoc Virtutis studiosus in animorum judicio non faciet? Ille vero faciet: ac, prudentiae obsecutus, quae reliquarum Virtutum est fons, sibi cavebit, ne se aut alium quemvis unum, normam ac mensuram aliorum omnium hominum, et quasi totius generis instar, constituat. Virtus enim eadem, 14.
ut vere dixit Plutarchus, in variis hominibus varia est, secundum varietatem naturarum, ingeniorum, animorum, locorum, temporum: magnificentia est alia Semiramidis, alia Sesostris: prudentia est alia Nestoris, alia Ulyssis: fortitudo alia est Achillis, Ajacis alia; patriae amor alius in Themistocle, alius in Pericle. Nec hujus varietatis justa cognitio aliunde hauriri potest, quam ex vitae actionumque cognitione, id est, ab Experientia et Historia.

Igitur, si se ipsum cognoscere magnum quid est 15.
ac paene divinum, ut jure hoc praeceptum a Veteribus Apollini Delphico tributum sit; dubitari profecto non potest, quin Historiae magna ac paene divina sit praestantia. Est enim ea mentis nostrae natura, ut se ipse quisque ita maxime cognoscere discat, si maxime alios observet homines, ab iisque ad se respiciat, seque cum iis comparet. Sed quum res non modo praesentes, sed absentes quoque cognosci debeant, sintque absentes vel tempore, vel loco; hae per peregrinationes, illae per Historias cognoscuntur. Peregrinationis locum supplere potest diligens studium

Geographiae, quae ipsa Historiae pars est. Historia, si vacet, alio studio suppleri non potest. Videtis ergo ejus necessitatem? Neque vero hoc ita dico, ac si quisque ita melior sapientiorque sit, ut plura Historicorum scripta pervolutaverit. Neque enim peregrinator ita melior sapientiorque domum redit, ut plurimas regiones peragravit: sed is nimirum, qui, ut Homerus ait de Ulysse, non modo multas urbes vidit, sed multorum hominum ingenia perspexit. Sunt qui omnia peregrina laudent, patria et domestica contemnant, alii contra. Sunt item, qui omnia vetera et praeterita laudent, recentiora et praesentia contemnant, alii item contra. In hoc uno, ceterum dispares, convenimus fere omnes, ut ipse primo quisque se nimium amet, et, secundo loco, sui quemque simillimum. Qui amor, a bono naturae initio profectus, negligentiâ in frequens et pervulgatum abit vitium. Pueri hominem videntes inusitato vestitu indutum, sive audientes inauditâ linguâ loquentem, cachinnos edunt. Juvenes, aut viri etiam, aetate procedimus, ingenio saepe pueri manemus: plerumque ad nova et peregrina primum oblata vix risum tenemus; eadem ubi exemplo et consuetudine auctoritatem adepta sunt, amplectimur et unice pulchra judicamus Audivimus fuisse doctos, qui praeter se neminem doctum putarent. Fuerunt alii aequiores quidem, qui praeter se paucos esse doctos largirentur; sed eos fere iisdem atque ipsi studiis eademque ratione deditos. Sed quid doctos dicam? Nulla est ars, nullum studium, nulla laus, ubi non iste error dominetur. Ne ipsae quidem integrae sunt ab eo Virtutes. Quae tandem est gravior et sanctior, eaque nomine, utinam etiam re! frequentior Virtus amore Patriae? Atqui, credo, et sunt et fuerunt homines, boni quidem illi et Patriae amantes, qui quemvis alium et ipsum Patriae amantem, sed aliter amantem, et aliis in rebus

dissentientem, Patriae tamen hostem et proditorem appellarent. Ceterum, si error iste, ut vidimus, inde a pueritia nobis adhaerescit et puerilis est, idemque depellitur diligenti Historiae studio, nonne Cicero divinitus plane dixisse videatur, Historiam ignorare idem esse ac semper esse puerum? Haec enim nos ex vanarum opinionum servitute in judicii libertatem vindicat: haec, per intelligentiam rerum humanarum, nos ipsos nobis aperit et cognoscendos praebet: haec efficit, ut animadvertamus et bona et mala, tam nostra quam aliena, tam domestica quam peregrina, tam vetera, quam recentiora; ut aequo ea examine ponderemus, bona sequamur, mala fugiamus.

Videamus materiam Historiae: haec est ipse homo: 19.
nec universe, quod est Philosophiae: sed peculiariter certi homines, quorum cogitatio, ut rerum singularium, animum nostrum magis tangit et afficit. Est vero etiam homo homini materia cognitionis jucundissima, propter ipsam generis cognationem et similitudinem. Ita enim se res habet, ut conjunctissimum quodque maxime nos alliciat, teneat, sollicitet. Ergo in aliis disciplinis diverso sensu ac studio ducimur, alius aliud genus amat, alius ad aliud genus aptus est: non omnia possumus omnes, non omnia volumus omnes. Historiam cognoscere et possunt et volunt omnes, qui quidem non ipsam humanitatem exuerint.

Per hanc ipsam naturae communionem fit ut ho- 20.
minum rebus vel prosperis vel adversis, factis vel bonis vel malis, in utramque partem commoveamur. Hinc stimulamur et incendimur ad recta imitanda, prava fugienda. Hinc naturarum bonitas apparet externis etiam signis: vel, quum horrent ad facti atrocitatem, cujus non capaces se esse sentiunt: vel, quum incalescunt ad egregii cognitionem facti, cujus ipsi se capaces esse sentiunt, et amore illius abrepti personam agentis induunt, lacrimasque inviti fundunt.

O generosi indices animi lacrimae! o pars naturae nostrae benefica et conciliatrix Virtutis! sed eadem cito nimis exarescens ac fructu suo defraudata per turbas et ludibria vitae quotidianae.

Sed e duplici fonte motuum animi, Voluptate ac Dolore, innumerabilis manat multitudo et varietas affectuum, quorum quisque est quasi aditus, per quem exempla perveniant ad animum, eumque moveant: nec ullus est affectus, cui, vel excitando, vel sedando, non idoneum exemplum ab Historia peti queat: de quibus peculiariter dicere infinitum est, strictim locum attigisse satis sit. Frequentissimus omnium, qui ab exemplo et Historiâ oriuntur, sensuum affectuumque est aemulationis et gloriae, qui acerrimos animis adhibet stimulos ad omne praeclarum factum suscipiendum, ut et vivi laudentur, et mortui ad posteritatis memoriam celebrentur. Dicat forte quis, gloriae studium non esse verum Virtutis principium. Audio: nec nego, illo gloriae studio multos ad multa vitia deductos esse. Enim vero, ut hoc utar, si medicina recto usu salutem, perverso mortem, adferat, tu eam prorsus abjicies, nec operam dabis, ut ejus bonum percipias, malum caveas? Tu illum laudis stimulum negliges? Tu illam virtutis ansam non apprehendes, qua naturae tuae socios homines ab ignavia ad industriam, a socordia ad verum decus traducas. Quis Graeciam a Xerxe liberavit? Themistoclis Virtus. Quis Themistocli Virtutem indidit? Miltiadis aemulatio ac tropaea, quae dormire illum non sinebant. Ergo nisi Themistocles aemulatus esset Miltiadem, Graecia barbaro paruisset, nec audita fuissent nobilitata victoriis nomina Artemisii et Salaminis; periisset item, nec umquam exstitisset, posterorum Virtus his victoriarum exemplis et laudibus excitata.

Est vero ad Virtutem in primis fructuosa aemulatio,

quae oritur e vitis rebusque magnorum virorum per diligentem Historiae lectionem cognitis ac perspectis. Habet enim vita eleganter honesteque acta eum Virtutis splendorem, qui ultro se in animos nostros insinuet, eosque ad sui studium imitationemque alliciat. Hinc, ut acutissime monet Plutarchus, efficitur, ut a cognitione ad actionem progrediamur, illosque viros semper ante oculos habeamus, et in quavis aut actione suscipienda, aut conditione subeunda, nos ipsi veluti interrogemus, quid hoc loco fecisset Socrates? quid Plato? quid Epaminondas? Quae nos exercitatio non solum ad ardua magnaque facta promtiores, sed etiam ad calamitates tolerandas fortiores reddet. Quod si enim amantes nonnunquam in amatis corporum naevos libenter ferunt iisque delectantur; profecto, Virtutis amator, si quid est in Virtutis exemplo molesti, hoc non extimescet, sed ipso amoris ardore et imitationis impetu provehetur ad labores etiam doloresque amplectendos. Itaque nec exilium Aristidis, nec vincula Anaxagorae, nec paupertatem Socratis, nec condemnationem Phocionis reformidabit: immo has quoque calamitates, ne dissimilis fiat illis viris, non modo non recusabit, sed, si opus sit, forti animo suscipiet. Animadvertamus etiam, quam sit simul et lenis et efficax Historiae admonitio. In nostris ipsi vitiis caecutimus, in alienis acute cernimus: qui aperte nos ac directo reprehendunt, in iis offendimur saepius: in aliis magis et integri attendimus, si quid delinquitur, tacitique ad nos ipsi respicimus et nostri vitii similitudinem agnoscimus. Corporum ea est lex, ut, quo vehementius percutiantur, eo vehementius resistant. Nimbi cum impetu in terram ingruentes haerent in superficie ac defluunt. Pluvia sensim ac leniter cadens recipitur terrae graemio, et ad plantarum radices permanat. Eadem lex valet in animorum natura. Sunt animi generosi et Virtutum

seminibus praediti, qui vim repellant, lenitati pateant: quorum si retegas peccata et ostendas, non meliores eos, sed pejores reddas: qui sua ipsi peccata corrigere, non ab aliis corrigi, volunt: qui soli suorum sibi peccatorum conscii esse cupiunt, testem alium quemvis repudiant: qui, deprehensi in dedecore, ipsâ pudoris vi ad impudentiam convertuntur, factum omnibus rationibus defendunt, et, ut judicio egisse videantur, hoc maxime argumento efficere se putant, si factum idem iterent ac repetant. Ita generosi etiam pervertuntur animi: malum, quod antea minime probaverant, probare paulatim discunt, seque ipsi in errorem et peccandi consuetudinem conjiciunt. Qui, si opportune ad Historiam adducti fuissent, sponte in alieno exemplo vitii sui turpitudinem agnovissent, et in Virtutis viam rediissent.

26. Si quis in caverna habitans numquam ex ea prodeat, sed alios ad prodeundum hortantes, et exterioris lucis liberiorisque aurae jucunditatem laudantes, repudiet ac repellat, nonne istum, ut lenissime dicamus, stultum appellemus? Jam noster animus habitans in corpore tamquam in caverna, adstrictus suo tempori et loco, quum possit haec naturae claustra perfringere, seque proferre in alia loca ac tempora, si nolit hoc facere ac viae ducem ultro se offerentem repudiet, quo tandem eum nomine appellemus? Atqui offert se animo nostro dux hujus viae Historia, repraesentans illi praeterita tempora disjunctaque loca, ubi veluti ex alto prospiciat seculorum regionumque conversiones, ac repleatur cognitione cum jucundissima, tum ad omnem Virtutem fructuosissimâ.

27. Egregia est haec et celebrata Lucretii de laude Philosophiae sententia, eademque admirabiliter in rectam Historiae rationem, quae ipsa est socia Philosophiae, conveniens:

Suave mari magno, turbantibus aequora ventis,
E terrâ magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas:
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Suave item belli certamina magna tueri,
Per campos instructa, tuâ sine parte pericli.
Sed nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrinâ sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios passimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O! miseras hominum mentes! o! pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis
Degitur hoc aevi, quodcumque est!

Duplex a poeta significatur fructus cognitionis, alter morum, opinionum, animorum: alter, universe, rerum externarum et conversionum. Uterque infinitis partibus utilior ad Virtutem efficaciorque ostenditur in Historia, quam in jactata illa Epicuri ratione. Primum igitur cognoscemus mirificam in humano genere varietatem opinionum de rebus divinis et humanis, proclivitatem ad superstitionem, desidiam ad quaerendum verum, vim auctoritatis, multitudinem errorum. Cognoscemus item excellentium hominum ingenio studioque prolatas veri partes multas. Reperiemus, nec bonos omni vitio, nec malos omni Virtute, carere: neminem sponte esse malum: initia vitiorum saepius in casu et externo statu hominis posita, quibus non animadversis praeceps fiat lapsus ad omnem pravitatem: ad initium quoque ac progressum Virtutis multum valere felicitatem. Haec qui diligenti Historiae tractatione cognoverit, aliorum et dissensum lenius feret, et injurias placabilius. Videns hominem erroribus vitiisque deditum, a quibus

ipse sit immunis, non se efferet, sed ad animum ipse suum respiciet, an forte simili aliove laboret malo. Cogitabit, non cum perfectis vivi hominibus, sed, ut ait Cicero, cum quibus praeclare agitur, si modo simulacra sint Virtutis. Humani ingenii imbecillitatem ex vero aestimabit. Non se nimium amabit, ut aliena et vetera prae suis et hodiernis contemnat. Non veteres sapientiae doctores caecos gentiles nominabit, nec eos levi erroris vitiique suspicione ductus condemnabit, et pueriliter de iis quasi triumphabit; ut aliis miserandus videatur, tamquam mente captus: aliis deridendus, tamquam gallus gallinaceus sine adversario exultans, et in barbarae doctrinae, veluti, sterquilinio, gradu incedens superbo ac victoriam canens.

Magna sunt haec ad pietatem et omnem Virtutem subsidia: majora etiam ea, quae a contemplatione rerum externarum et conversionum proficiscuntur. Socratis fertur dictum: si omnes homines in commune suas conferant calamitates, ut novâ distributione summae hujus aequalem quisque accipiat partem, fore ut suam quisque veterem partem lubens retineat eâque contentus abeat. Sed hic nimirum acervus, haec summa humanae miseriae aut nullo modo, aut per Historiam, intelligi aestimarique potest. Ecquis igitur in monumentis relatum legens de magnis plerorumque miseriis aut non levetur et erigatur, si sit ipse in eodem vel simili malo, aut non Deo gratias intimo animi affectu agat, si sit ipse incolumis? Ecquis legens innumerabiles hominum myriades quotannis morbo ac bello, subinde terrae motu, aquarum inundatione, aliisque casibus absumtas, non mortem ipse suam levius ferat ejusque terrorem leniat? Quid singulos homines dicam? Totae urbes et magnitudine et numero ingenti exstinctae sunt, ut singularia hominum

corpora. Quod qui animadvertat, nonne se ipse, quasi Servii ad Ciceronem admonitione, reprehendat: visne tu te cohibere et hominem natum te meminisse, caducum et fragile negotium? nonne vides tota urbium corpora diruta deletaque jacere? Fuit illa sub Assyriis Babylon! fuerunt Persarum Ecbatana! fuit Phoeniciorum Tyrus et Sidon! fuit Memphis Aegyptiorum! fuerunt Graecorum Athenae, Corinthus, Thebae! fuerunt eorundem Graecorum innumerabiles et florentissimae urbes, per omnem Graeciam, Asiam, Africam, Siciliam, Italiam! fuit illa Romani aemula imperii Carthago! ipsa, terrarum domina, Roma vix umbram sui habet. Dies me citius deficiat quam nomina urbium, quarum ne vestigium quidem superest. Sed quid urbes dicam? Magni populi ac totae nationes perierunt haud secus ac singularia hominum corpora. Assyrii subacti sunt a Medis et Babyloniis: hi a Persis: Persae a Graecis: Graeci a Romanis: Romani a Barbaris: Barbari deinceps ab aliis Barbaris, e quorum colluvione et manarunt majores hodiernorum Europae populorum, et ita sibi decus quaerit nobilitas, ut maxime quidem ad ipsam illam colluvionem, sin minus id fieri possit, ut profecto nequit, at proxime tamen ad eam prima sui generis indicia referre conetur. Atqui omnes istae rerum conversiones exiguo fuerunt et temporis et loci spatio, e quo ipso non habeamus omnium rerum omnia monumenta. Quid igitur, si reputemus aetates regionesque eas, e quibus nulla ad nos venit notitia? Ergo Homerus, qui, ad hanc parvitatem ac fragilitatem respiciens, homines comparavit cum foliis in silva deinceps pereuntibus et succrescentibus, Homerus igitur minime rem praeter verum auxit, sed rationem proportionemque diserte significavit. Nam, ut nationes instar sunt silvarum, ita urbes arborum, homines foliorum. Tu vero, quisquis es homo, quum sis instar unius folii,

in ista tua te dilatabis angustia? tu gloriolâ intumesces? tu superbiâ te efferes supra alios sortis tuae socios homines, veluti folium supra alia folia? Non facies, mihi crede, si ex Historiae cognitione humanae conditionis tenuitatem ac fragilitatem aestimes. Intelliges, profecto, Numen quoddam esse infinitum, quod, ut ait Euripides, occulto incedens gradu, justa ratione res gubernat humanas. Ad hoc tu Numen respicies, huic te dabis, in hoc tu acquiesces, hujus tu magnitudine tuam parvitatem obrues.

Igitur ad hujus cogitationem Numinis nostra omnis magnitudo evanescit. Reputet, Auditores Humanissimi, nostrûm quisque, quam parva ipse sit pars hujus rei publicae: quam item haec Europae: quam porro Europa totius Terrae: quam deinde haec Terra hujus Mundi, qui continetur Sole et errantibus circa eum stellis huic Terrae similibus, in quibus, ut Philosophi persuadent, item habitatur, vivitur, agitur. Tum reputetis, quam parva sit hic Mundus pars totius Universitatis, cujus quot stellae fixae infinitâ multitudine noctu lucent, tot sunt Soles, sui quisque Mundi dux stipatus comitatu errantium stellarum ab oculis nostris numquam perceptarum. Denique cogitationem convertite ad Deum, a cujus nutu tota haec Universitas et profecta et suspensa est. Jam videtis ad quam parvitatem redacti simus. Sed, credo, parvitas diuturnitate compensatur. Immo, parvitati respondet brevitas. Sed, fortasse, utraque compensatur suavitate vitae et naturae munere explendo, veluti ajunt de illis ad Hypanim fluvium bestiolis, quae, quo die nascuntur, eodem moriuntur, et omnes vitae suae partes et aetates paucis horis absolvunt: quarum si nemo miseram esse sortem dicat, hominis certe sortem praeclaram habendam esse, quippe in multo majore et vitae spatio et naturae praestantiâ. Equidem, ut non statuo de sorte horum et aliorum

animalium, quorum vitae actionem et sensum non satis intelligo, ita Experientiae et Historiae assentior, non esse quare homo tantopere de naturae suae praestantia glorietur: cui naturae quotus quisque est qui satisfaciat? At, inquit, Virtute paratur felicitas, aut certe vitae suavitas. At, ut eadem Experientia et Historia docet, hoc Virtutis ad felicitatem iter multis saepe calamitatibus turbatur: saepe bonis male, malis bene est: in animis versantur error et imbecillitas, in corporibus infirmitas et valetudo, in fortuna iniquitas et adversitas: deinde, ubi ex erroribus et praejudicatis opinionibus emergere nos coepimus, sero est, instat senectus et mors. Hoc mihi loco rursus in mentem venit Homeri, qui divinitus plane informavit summum imperium et numen Jovis, cujus in manu ab aurea catena suspensum sit totum universum. Si quis igitur in rebus fluctuantibus aliquid firmitatis ad consistendum quaerat, hoc non potius ab interjectis catenae annulis quam ab ipso Jove quaerat. Nec nos naturae nostrae proferendae et angustiae dilatandae auxilium aliunde petamus quam a Deo, qui solus vere magnus, solus omnis magnitudinis fons et auctor est. Ergo accipiamus porro a Philosophia et Historia, quam vim ad nostram parvitatem habeat magnitudo Dei. Nimirum, ut vere docent, res humanae similes sunt scenae, in quam homo inducitur a Deo ad vitam, veluti personam, agendam, quae utrum sit regis an servi, diuturna an brevis, nil refert, sed an bene et ad argumentum fabulae accommodate agatur. Jam vero, nos huic terrae adfixi sumus: Deus in toto universo ubique est praesens. Nos in hac ipsa terra superficiei adhaerescimus: Deus omnium in toto mundo animorum corporumque intima quaeque pertractat. Nos hujus ipsius superficiei exiguam partem cognoscimus: Deus omnes res, et singulas et universas, perspectas habet.

Nos pauca nostris ipsi sensibus, pleraque aliorum fide ac testimonio, intelligimus: Deus praesens ipse omnia et manifesta cernit. Nos parvi temporis spatiique res gestas in Historiis custodimus: Deus per omnium seculorum decursum et praeterita tenet et praesentia videt et futura prospicit. Nos levi vestigio eventus rerum colligimus: Deus omnium ipse rerum et causa est et creator. Hic fruitur continuo spectaculo innumerabilium conversionum in hac scena quovis momento succedentium: vere beatus, quod in ipso nec cognitioni materia, nec materiae cognitio umquam deest. Per hanc animus noster contemplationem quasi procul e tenebris lucem conspicit, ad quam cursum dirigat; in fluctibus locum nactus, ubi consistat, erigitur: extendit se in illam regionum seculorumque aeternitatem: se ipse major altiorque fit: intelligit, se hujus vitae provinciam ac personam agere spectatore ac judice certaminis Deo, qui, omnes in hac scena actores aequali complectens animadversione, non alium alio magis minusve curet atque observet. Igitur nec se ipse prae aliis aut effert, aut demittit: nec se vel jactat quasi praeter caeteros a Deo dilectum, vel queritur quasi neglectum. Atque hac inductione et anticipatione praecipit futuram immortalitatem: sentit se non in hujus vitae angustias inclusum, cursum et iter animorum ultra corporis fata patere in sequentis aevi aeternitatem, in qua certaminis praemia reposita sint. Vere mihi videor hoc esse dicturus, Auditores Humanissimi, ad veram pietatem in primis valere Historiam. Haec ipsam corroborat Philosophiam, ejusque praeceptis vim vitamque adjungit. Pietatis fundamentum positum est in scientia et firma persuasione animi de Divina providentia et gubernatione. At vero, ut haec scientia in animis nostris non quasi dormiat, sed vigilet, ut ad actionem sensumque abeat, ut valeat contra vitae

acerbitates et mortis terrorem: hic igitur fructus ita maximus exsistit, ut maxime per Historiarum cognitionem perspectas ac pertractatas habemus res humanas.

Sed, ut in iis quae huousque dixi, Auditores omnium ordinum Humanissimi, spero me vos habere assentientes, ita suspicor vestra ingenia requirere etiam rationem ac viam, qua tractandum sit Historiarum studium, ut inde laudatus ille Virtutis fructus percipiatur: qua via et ratione designata huic loco demum satisfecisse videar. Neque etiam ego ita disputavi, ac si quisque Virtutem assequatur, vitioque liberetur, cum se in lectionem Historiae conjecerit, et locum ex ea veluti magicum carmen recitaverit. Omnino est certa quaedam ratio Historiae tradendae, certa item percipiendae: est lex, ut docentis et narrantis, ita discentis et audientis. De qua lege et ratione quum constituissem hac ipsa quoque dicere oratione, animadverti tantam esse argumenti magnitudinem, ut ejus tractatio in alium locum tempusve reponenda sit.

Igitur, ut finem dicendi faciam, colligamus ex dictis, Ornatissimi Suavissimique Juvenes et Commilitones, quid nobis agendum sit, ut per Historiam ad bene beateque vivendum proficiamur. Nimirum in hujus tanti possessionem boni non temere ac subito involatur, sed gradibus ac diligentiâ pervenitur. Fundamentum totius rei est in ipsâ Historiae intelligentiâ: intelligentiae fundamentum est in illâ rerum summâ ac brevi descriptione, Historiae Universalis nomine celebratâ: e cujus fonte manat omnis liberalis institutio, omnis ingenuo digna cognitio, omnis doctrinae flos et ornamentum: cujus disciplina sapientissimo consilio sancita et confirmata est, cum in aliis, sive Academiis sive Gymnasiis, tum in nostro Athenaeo. Hac ergo mature animos imbuamus ac

praeparemus ad omnem reliquam percipiendam Historiam: cum patriam ac domesticam, tum peregrinam et externam: cum populorum et conversionum, tum ingeniorum ac disciplinarum. Ita paulatim praejudicatae opiniones locum cedent veris judiciis, ac perspicientiae rerum humanarum, id est, prudentiae. E prudentia efflorescet pietas: e pietate magnitndo animi, modestia, temperantia, justitia: ex his verus patriae amor: ex amore patriae fortitudo in agendo, constantia in patiendo, contemtus mortis, omnes denique Virtutes et publicis et privatis rebus salutares. Duit Vobis hoc animi propositum et consilium Deus Optimus Maximus! Dixi.

III

M. ANTONII MURETI

ORATIO

DE

LAUDIBUS LITTERARUM.

Habita Venetiis Anno MDLIV.

Quae singula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere consueverunt, patres amplissimi vosque ceteri cives ornatissimi, ea mihi sese hodierno die objiciunt universa. Sive enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis dicimus; sive audientium dignitas, magna lectissimorum hominum adstante frequentia dicimus; sive ipsa orationis materia dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio, de doctrina, de gloria ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine periclitandum. Venetiis dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum necesse est in maximarum earundemque toto orbe notissimarum rerum ignoratione versari. Ecquis enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus praestantissimae civitatis fama

pervaserit? quis populus, quae gens, quae hominum natio vel tam immanis atque barbara vel tam exculta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Venetorum res publica non gloria modo et splendore nominis sui, verum etiam admiratione compleverit? Haec vero firmamenta rei publicae, haec ornamenta Italiae, haec virtutum omnium laudandarumque artium praeclarissima lumina intuentem non commoveri, tantum id quidem est, ut non dicam in meam hanc mediocritatem ingenii, sed vix in quenquam hominem, qui ceterorum de se judicia extimescat, cadere posse videatur. Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum ad dicendum venissent, unius principis adspectu ita conturbatos fuisse, ut obmutescerent, quid mihi tandem animi esse oportet, qui neque comparandus cum illis omnino sum et apud vos dico, senatores amplissimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi consessum principum videor intueri? Ac ceteri quidem saepe ad eam excusationem confugiunt, ut se, cum tenuitatis suae conscii essent, tamen, vel necessitate vel officio impulsos vel amicorum sive precibus sive tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetivisse, quam detrectare non potuisse dicant quam totam rationem nobis hodierno die ipsa rei natura conditioque praecludit. Non enim detrectantes, sed ultro nobis deposcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus: ut, si minus ex aliqua parte nostra vobis approbata fuerit industria, causa nulla sit, quin omnes accusandam potius nostram temeritatem, quam imbecillitatem sublevandam putent. Equidem cum et ab ineunte aetate, tum domesticis excitatus exemplis, tum ipsa hortante natura, honestarum artium studia coluerim, et, ubi primum per aetatem licuit, quae mihi meo ipse labore pepereram,

aliis tradere ingressus, novem prope jam annos in hac dicendi et docendi exercitatione consumpserim; tamen, superiora illa considerans, ita commovebar animo, facile ut hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes et magna quaedam approbandae vobis, si minus eruditionis, at certe voluntatis meae cupiditas impulisset. Ac mihi quidem, et cujus rei causa in hunc locum ascenderim, et ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur: nullo in argumento meam commodius orationem posse versari, quam si, litterarum disciplina quantum non ornamenti solum, verum etiam praesidii bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetitâ memoriâ, exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros, commonefaciam, excellentibus a natura ingeniis praeditos, eruditos a studiis liberalium doctrinarum, a diuturno assiduoque magnarum rerum usu peritos; sed quia libenter facio, ut, quarum artium perceptâ scientiâ unumquemque vestrûm vehementer affici constat, earum animos vestros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita se habeant, mihique ipsa per se delectae ad dicendum materiae dignitas satis magnam audientiam factura videatur; tamen magis consuetudine, quam quod ita necessarium judicem, petam a vobis, ut mihi, res pulcherrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis.

Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris, viri amplissimi, ad conservandas bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, e singulorum civium felicitate constet; singulorum autem felicitas in excolenda exercendaque virtute praecipue sita sit, et ad perfectam virtutem consequendam necessariam

quandam praecursionem adhibeant litterae: illud profecto consequitur, ut, nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute civitas nulla possit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes, omnem publicorum temporum varietatem, omnes instituendae vitae rationes et vias animo et cogitatione percurrite; nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut, eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Eae nos, ubi primum firmius incedere atque articulatius loqui coepimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis saluberrimis complent; non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias; excitant in animis nostris igniculos gloriae; quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent; quae qui semel bene penitus imbiberint, ii nunquam non postea et vitii turpitudinem omni studio refugient et officii honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquae vitae expectatio ab educatione pueritiae pendet. Ut vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adolescentiae excepit, quae tandem alia res aut animum praeclararum rerum studio accendere aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos injicere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis tropaeo, quiescere volentem, excitari. Quanto eos acrius incendi atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium tropaea non e marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimescendum est, ne aut labore fran-

gantur aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui aetatis suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta si quidem est oblectatio paullatim acquirendâ cognitione rerum sese pascentis animi, ut, eâ qui fruuntur, ab iis neque laboris taedium neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poetae, cum ceteros omnes deos Veneris imperio subdidissent, in Minervam modo et in studiorum praesides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Jasonem olim ceterosque argonautas, cum eam insulam, quae ab amoenitate florumque copia nomen invenerat, praeternavigarent, periculumque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur, unum in Orpheo perfugium habuisse: qui cum assedisset in puppi simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare coepisset, tantâ simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula juventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti et a recto itinere abducti in vada et scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod? nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cujus suavitatem qui percipiunt, ii et Acheloidum cantus pro nihilo putant et, tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit.

Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur,

ceteris omnibus major sinceriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse ac taedium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui saepe studio intentus tantâ voluptate perfruebatur, ut eum tamquam extra se positum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat solertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique gladiorum fulgor praestringebat oculos; undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs paene dimota et convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat: cum unius hominis mens in media civitate civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet inaudissetque assidentes amicos de re quapiam summisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius: sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundiorem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa

ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto; vicinitate jam mortis ab omnibus paene corporis partibus sensus abscesserat; egregius ille animus, mox liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum, quidquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinae cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse, qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium res publica, quam diu tam praeclari viri tenuit disciplinam.

Sed, ut eo redeamus, unde nos facta praeclarissimorum hominum mentio paullisper abduxit: dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi, — vos enim, vos mea jam compellabit oratio —, dici, inquam, non potest, ea studia, in quae nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis et ornamento et auxilio futura sint, cum vos et generis vestri nobilitas et vestra virtus ad rei publicae gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates praecipue conservantur, pietate, justitia, fortitudine inprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. Neque vero haec a me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriae utilem esse neminem posse; sed hoc dico, nisi litteris exculti sint ii, qui, velut in rei publicae puppi sedentes, clavum tenent, multis eos muneris sui iisque praecipuis partibus necessario defuturos. Nam cum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli; quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium; quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se dissidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere,

praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre et ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimaverit? Nisi vero eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut, qui rei publicae praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriae proditum est, cum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum et summum imperium detractasse, quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio alienâque linguâ ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere optimeque consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus; cujus vero doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest?

Sed sunt quidam homines, qui cum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus et honestam inprimis et utilem esse fateantur, iidem tamen, cum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, et inter tubarum lituorumque clangorem nullum sui amplius praebere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, et, quantum vel in medio bellorum tumultu litterae valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent; nunc quis est, qui cum mihi et maximum esse in bellis consilio ac prudentiae locum, et eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse

contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui, ut Troja facilius potiretur, non Achillis aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura praescripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit: itaque, qui unum alterumve spectarunt, multum sibi militaris prudentiae collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At haec omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima ac pulcherrima otiosi ac sedentes consequuntur.

Taceo, quam multa expressa sint eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriae, de animorum aeternitate, de praemiis, quae post mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter gesserint: quae tantam vim habent, ut neque, qui ea ignorent, verae laudis habere gustum, neque, qui tractant, verae ac solidae gloriae ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod saepe labantes jam ac deficientes exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedaemoniorum civitas, cujus exercitus, Tyrtaei poetae versibus inflammatus, pulcherrimam illam de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus praestiterunt, aut fortissimos imperatores, qui eruditionis et doctrinae gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam et Archytam Tarentinum sexies exercitum duxisse com-

perimus, et Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, et ter stipendia fecisse Socratem, et Platonem et Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam praestitisse. Quid illa propugnacula Graeciae, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros tum praestantes doctrinae studiis fuisse, historiae loquuntur. Nam Julium Caesarem, quis nescit, utra laude praestaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa nocte, quae mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties dicitur. Atque hoc praeclare olim intellexisse videntur Mitylenaei, praecipuam esse in re publica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, nullam eis aliam poenam irrogabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet, eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, cives, quod viget hodie vestra res publica, quod floret, quod beata est, quod, cum ceterae orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una haec (quod ei Deus Optimus Maximus proprium ac perpetuum faxit!) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei et praesunt homines cum ceteris omnibus tum hac eruditionis et sapientiae laude clarissimi et semper eorum simillimi praefuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata praeclare? Tu dicere solebas, tunc demum res publicas beatas fore, cum eas aut philosophi coepissent regere, aut, qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetuâ jam mille amplius annorum felicitate Venetorum res publica comprobavit.

Equidem quo longius in altum invehor, patres amplissimi, eo mihi amplior et patentior orationis quasi cursus ostenditur. Sed et temporis me ratio et vestra singularis sapientia, ut vela contraham portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse, aut me aut quemquam de litterarum praestantia fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius aut copiosius, quam unumquemque vestrûm secum loqui; et mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut, si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam et hujus loci amplitudo et summa audientium dignitas postulabat, meum tamen iccirco placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem, si non indignus, a vobis qui saepius audiar, judicer, erit, quod mihi magnopere gratuler; sin forte: sed reprimam me neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari, qui tamen a tot, tam praeclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non hujus modo laboris, sed totius ante actae vitae fructum hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus. Dixi.

IV

M. ANTONII MURETI

ORATIO

DE

UTILITATE AC PRÆSTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM ADVERSUS QUOSDAM EARUM VITUPERATORES.

Habita Venetiis Anno MDLV.

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quae humaniores vocantur, eam animo imbibêre sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse ac nugatorium existiment; neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse rei publicae industriam; in eis denique non exquisitam ullam ac reconditam, sed circumforaneam quandam haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam; neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant aut majores in re publica pariant fructus; doctrinae denique a nullo hominum genere majorem aut copiam requiri aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, patres amplissimi

vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere et nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemtu atque ab intolerabili eruditorum hominum insolentia vindicare. Et vero quid aut huic tempori aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae mihi studia celebritatis aliquid cum aliis in locis tum hac ipsa in civitate pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcunque profluxi hominum famam, iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? Praesertim cum, qui hoc litterarum genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, patres amplissimi, singulari spectataque in omnibus rebus ac paene divina sapientia nonnihil eadem superbia detrahant. Etenim si haec tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt: quae vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publice libellis, studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitaretis, utque iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aerario decerneretis? Quae certe una res ad coercendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat: ut, si hebetiores eos natura stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro talium virorum judicio probatum foret, magnum esse aliquid ac praeclarum suspicarentur. Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum est; adeste animis mihique breviter ostendenti, quam varia quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eâdemque operâ, quantos ex eorum navitate atque industria res publica percipiat fructus, non aures modo, sed mentes quoque attentas, quaeso, paullisper adhibete.

Atque adeo, ut haec tota controversia melius dijudicetur, operae pretium est, initio, quaena sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere majoris momenti negotium adhiberi vident; non ad judicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam, facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poeticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas et aliquot levia comendae ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquiunt, in puerorum consessu de ejusmodi figmentis commemorare ac modo de Thebano, modo de Trojano bello, modo de Ulixis aut Aeneae erroribus molli et ad inanem oblectationem composito sermonis genere disserere; identidemque velut e quibusdam arculis accommodata colorandae orationi pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio est scire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae simulacrum, ut Euripides prodidit? quod emolumentum ex istorum omnium scientia, quod detrimentum ex ignoratione percipi potest? Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim dialecticos spectes; ab iis certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur, quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, et tenere et alios docere prae se ferunt. Quid physici? qui rerum principia causasque tractant, qui, quo modo quidque gignatur quoque modo intereat, edisserunt, qui nimborum, fulminum tempestatumque causas, qui corporum caelestium

magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones, qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras, qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quae gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis caelo, mari, terra, ut poetae loquuntur, praetermissa sit; haec cum tractant, mediocriterne rei publicae prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium, quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat; quot sint virtutum quotque vitiorum genera, quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quo modo exsultanti jactantique se et detrectanti rationis imperium frenos injicere oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo, quo nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandae sint civitates; quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint. O res praeclaras et ardentissimo studio summâque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitae philosophia gubernatrix, o virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere; tuum est omnem inanitatem et errorem amputare ac circumcidere; tuum est vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina exstinguere. Merito divinus Plato, nihil te praestantius

hominum generi a diis immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti; perfricent frontem, si quam habent, et se ulla ex parte cum philosophiae doctoribus conferendos esse praedicent. Qui si aliquod forte paullo abstrusius loquendi genus aut aliquam voculam non ita pervulgatam aut quampiam paullo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant; nonnunquam etiam de ejusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris et focis certamen suscepisse videantur. Haec fere est, patres amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio: qui quod philosophiam laudant, libentibus id nobis atque approbantibus faciunt; nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet plurisve faciat; quod autem nullum censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium, in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus sum, intelligetur.

Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliud a nobis, quam poeticas fabulas et exornandae orationis praecepta tradi, non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam et ludicram nostram omnem esse doctrinam neque alio, quam ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poetarum fabulae, quas isti tantopere exagitant et insectantur, non levia quaedam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; immo vero sub eis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Eratosthenem quendam fuisse ajunt, qui poeticen ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, at Aristoteles, quorum non paullo major est, quam nescio cujus Eratosthenis, auctoritas: ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur

ad confirmanda ea, quae tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se philosophos videri cupiunt et quidem ejusmodi philosophos, ut, tanquam Atlante caelum, ita philosophiam supercilio suo niti putent, ita despicatui ducunt poetas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem cujusmodi philosophi sint, ipsi viderint: cum eos contemnant, quos philosophorum coryphaeus, Plato, modo sapientiae patres ac duces, modo deorum interpretes, modo deorum filios vocat. Aristoteles autem, cujus isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poetarum testimoniis utitur, verum etiam, libro primo de sapientia, philosophum omnem fabularum amatorem esse confirmat. Quod igitur Aristoteleos esse se ajunt, fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent: hunc enim ex omni memoria unum fuisse philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinae tum poetarum praecipue scripta contemneret. Quod quidem se, negligendis poetis, ex Aristotelis disciplina ac familia censeri volunt, in eo, meo quidem judicio, faciunt et impudenter et imperite.

At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poetarum laude dicam: quod si esset, facile ostenderem, omnia praecepta vitae, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam a philosophis ipsis, doceri. Non igitur, cum poetarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctrinae facimus; non in levibus minimeque frugiferis rebus operam sumimus, sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornate ac copiose loquendi prae-

cepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos quibusdam velut habenis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur moerentes, afflictos excitat, jacentes erigit, quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in patriam inita consilia dissipavit, hac togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, majus omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Si quidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere, animis nullam adhibere vim possunt; hi vero dominantur in animis, quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant, hi volentibus: illi et oderunt omnes et odiosi sunt omnibus, hos, in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt; sed, quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri.

Orationis igitur meae summa eo redit denique: etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poetarum fabulas et juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus, tamen neque mediocriter rei publicae prodesse nos neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cujus non

aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos et alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris dialecticorum physicorumve aut in iis, quibus medicinae jurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cujus intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui, cum scripti sint a viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiam si eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur, neque unqaam aut medico turpe habitum est nescire leges, aut jurisperito vel medicinam vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen et delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes, juris civilis ignoratio fefellerat! Libros ejusdem de finibus nunc ipsos interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? quid terrarum situs? nisi qui haec utraque utcunque teneat, satisne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos ac jocari et nihil in docendo aliud, quam puerilem voluptatem, aucupari putent? Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod a graviorum artium doctoribus

neque ornata neque elegans neque multis quidem in locis Latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo et impure, improprie, barbare loquantur: suo id eis quodam jure licere creditur. At nobis dicentibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant, ut, si quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuo dicant violatae Latinitatis; quodque postremae iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quae subito fundimus, plurimi illigati sint et verborum et sententiarum lepores.

Quae cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum exspectationi hujus professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae contemptores, gloriae obtrectatores, comprimant vocem stultitiae atque invidentiae indicem. Vos vero, patres amplissimi, pergite, ut facitis, benignitate vestra labores nostros fovere: ut haec florentissima et bonarum artium studiis detitissima juventus, exercitationibus hisce nostris ad virtutem praeparata atque praeculta, vestram olim in hac felicissima republica gubernanda sapientiam facilius imitari queat. Dixi.

V.

M. ANTONII MURETI

ORATIO

DE

MORALIS PHILOSOPHIÆ LAUDIBUS.

Habita Romae Anno MDLXIII.

Veteri consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se traditiuros esse profitentur, artis laude conjungant eoque, quidquid habent in dicendo virium, conferant, ut in ea cum utilitatis et emolumenti tum dignitatis et amplitudinis longe plurimum inesse confirment. Quae consuetudo etsi minime reprehendenda mihi quidem videtur, quod omnia laudanda sunt, quae ad amplificandam honestarum artium dignitatem et ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent; tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscue iisdem fere afficiuntur laudibus ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur, fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas, et ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorifice ac splendide dicere ingressus est

circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque susceperit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda et exaggeranda esset. Ergo, ut, qui comoedias aut tragoedias spectant, cum histrionem aliquem in proscenio auro ac purpura fulgentem viderint, facile intelligunt, illa ornamenta ipsius propria non esse, sed futurum, ut aeque illis indueretur quilibet alius e grege, qui ad tempus eam personam sustineret; ita, qui ejusmodi orationes audiunt, cum hanc aut illam artem magnificis et exquisitis exornatam laudibus vident, statim judicant, nihilo magis eas in hanc, quam in illam, convenire, futurumque, ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator, tanquam choragus, eas quasi partes mandare atque imponere voluisset. Quae cum mihi de principio in mentem venirent, propemodum in eam me sententiam adduxerant, ut eam philosophiae partem, quae ad confirmandos mores instituendaeque vitae rationem pertinet, quotidianis disputationibus, quantum meae vires ferent, illustraturus, nihil initio, quo dignitatem ipsius vobis commendarem, dicendum arbitrarer; verentem, ne, cum suis eam modo ac propriis laudibus extulissem, communes tamen illae nonnullis ac tralatitiae viderentur. Simul autem illud cogitabam, si qui nondum pervidissent, assidua et diligens harum praeceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beateque vivendum, fore, ut brevi eis pro me res ipsa loqueretur, ex qua multo id eos melius multoque perfectius, quam aut ex mea aut ex cujusquam oratione, cognituros. Sed ab ea me sententia abduxit amicorum aliter sentientium auctoritas, qui cum alia multa tum hoc argumentum attulerunt: cum haec ipsa philosophia praecipiat, non esse cuiquam temere a publica consuetudine discedendum, minime convenire, qui eam se traditurum profiteretur,

eum in ipso quasi vestibulo illius praecepta migrare Quocirca dicam hodierno die breviter et modice de moralis philosophiae laudibus deque fructibus, quos illa suis cultoribus pollicetur, sed philosophico magis, quam oratorio more: non ut ei quidquam alieni affingam aut, quae ipsius propria sunt, amplificandi causa in majus extollam, quorum alterutrum si coner, ipsa mihi philosophia, ut est veritatis amans, tanquam Achilli Homerica Pallas, manum injiciat, sed ut nudo ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse ait Euripides, ea, quae ad rem facere videbuntur, exponam.

Primum igitur non artium modo, sed omnium omnino humanarum rerum dignitatem atque praestantiam ex fine, ad quem earum quaeque dirigitur, quemque sibi proponit, pendi ac spectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis praestantior ac divinior est, tanto ipsa ceteris excellere judicetur. Quo posito (est enim ita perspicuum, ut probationis non indigeat), quis unquam reperietur tanta vi praeditus ingenii, tanta eloquentiae copia instructus, qui se de philosophia pro ipsius dignitate verba facere posse confidat? Non enim illa sibi opes ac copias, quae et saepe possessoribus suis exitio sunt et tam multis casibus eripi possunt; non honores et imperia, quae quod concupiverint, multi, quod aspernatus sit, nemo unquam vituperatus est; non quidquam denique proponit ejusmodi, quo et carere sine probro et abundare sine gloria liceat: sed eam, ad quam omnes adspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones omniaque consilia referunt, felicitatem. Quanto igitur ceteris omnibus bonis antestat felicitas, tanto philosophia ceteris artibus antecellit. Quod si tanto studio coluntur artes quaedam, quae nihil sibi aliud, quam lucrum et rei familiaris amplificationem tum incertam tum laboris ac periculi plenam, proponunt: quanto

haec studio digna est, qua parantur verae illae opes animi, quae non furto eripi, non incendio absumi, non naufragio absorberi possunt quaeque certam rectamque viam commonstrant ad persequendum id bonum, quo cetera omnia continentur? Si tanto in honore medicina est, quod habere levationem morborum, quibus tentatur corpus bonaeque valetudinis ac firmitatis tum effectrix esse tum conservatrix creditur; qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quae se in animis idem effecturam esse profitetur? Nam et praestantior corpore animus est, et hujus, quam illius, multo plures morbi multoque periculosiores. Quod si cui forte dubium est, excutiat ille paullisper intelligentiam suam secumque reputet, quam saepe unius hominis ambitio, avaritia, libido integras funditus everterit civitates. His autem et similibus morbis medetur philosophia eamque in suis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebrae, non dolorum faces, non divitiarum splendor, non obscura et contemta paupertas, non honorum sitis, non ignominiae metus, non vitae cupiditas, non mortis terror convellere ac labefacere possit. Ut enim Olympi cacumen poetae semper quietum esse ajunt, propterea quod altius sit, quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat; sic philosophorum animus sublimior et excelsior est, quam ut istos flatus sentiat furentium et de rebus abjectissimis inter se humi digladiantium cupiditatum. Stat ille, ut in medio mari edita et altissimis defixa radicibus rupes, cujus summa fluctus ne attingunt quidem, infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. Novit Philosophus, vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo, quas consectentur, sed quas respiciant viri, partim cum dedecore ac turpitudine conjunctas, ut satius sit, quovis dolore lacerari,

quam venenata ac pestifera càrum suavitate mulceri. Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates easdemque sincerissimas nullâque, ne minimâ quidem, permistione molestiae contaminatas, quas ex ipsa virtute et ex honestis actionibus carpit, iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat, eas solas caras ac jucundas habet. Nam ut in beatorum insulis dicuntur esse arbores quaedam adspectu jucundissimae, quarum in ramis toto anni tempore cernere est alios fructus mites jam et ad maturitatem perductos, alios maturescentes, alios pubentes adhuc et in primum se florem induentes; sic in eorum, qui vere ac serio philosophantur, animis toto vitae tempore aliae actiones honestae ac laudabiles confectae jam sunt et absolutae, aliae in eo sunt, ut absolvantur, aliae inchoantur adhuc et informantur primisque, ut ita dixerim, lineis designantur. Itaque aliarum recordatione ac conscientia, aliarum tractatione ac praesentia, aliarum meditatione et prospicientia sic afficiuntur, nihil ut sibi praeterea jucundum aut amabile existiment. Immensa etiam illa et inexplebilis accumulandarum opum aviditas, quam, incertum est, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo philosophiae praeceptis consito et exculto non potest. Quid ita? Nimirum quia haec id vel praecipue in suorum animis inserit: naturales opes et terminatas esse et facile parabiles; eas qui adeptus sit, nihil ei amplius appetendum: non, qui plurimum habeat, sed qui minimum desideret, ditissimum esse; nihil magni faciendum, quod aeque pessimus atque optimus quisque consequi possit. Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse aut possessiones suas incultas ac desertas reliquisse memorantur, haec enim aut ignavorum hominum videntur aut pecunia uti nescientium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est. Ac fuere quidem

ii, de quibus illa narrantur, philosophi; sed rudior illa quaedam et simplicior philosophia tum fuit; politior nostra haec et ad usum civilem accomodatior, quae docet, opes, si quis aut a parentibus acceperit aut industria sua quaesierit aut alia quapiam honesta ratione ad eas pervenerit, non aspernandas aut rejiciendas esse, sed ita habendas, ut virtutis, non ut luxuriae, administras. Nam illud mihi quidem permirum videri solet, quid ita veteres illi judicarint, non posse se simul et rem habere et in sapientiae studia incumbere, qui mihi etiam videntur, quo facto summam divitiarum contemtionem significare ac prae se ferre voluerunt, eo ipso indicasse nimiam quandam erga eas naturae suae propensionem, si nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes suas in eandem arcam includerent, neque, quam diu patrimonium habebant, imperare sibi, ut aliis rebus contemplandis ac cognoscendis vacarent. Equidem nunquam eum militem laudaverim neque fortem habendum duxerim, qui adversarium a se quam longissime amoveat, ne cum eo manus conserat, sed eum potius, qui et congrediatur et vincat. Neque vero video, qui minus impedimento sit egestas studiis, quam divitiae. Necesse est enim, qui, unde vivat, non habet, eum sibi vitae subsidia aliunde quaerere: in quo quantum temporis ponit, tantum de sapientiae studiis detrahit. Melius igitur philosophia, cui qui se regendos permittunt, ii opes, si non habent, non requirunt; si habent, utuntur, ut decet; neque unquam torquentur aut augendi cupiditate aut amittendi metu. Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam semper virere in eorum, quos semel occupavit, animis neque unquam consenescere, gravissimus auctor ait Thucydides, verba faciam? Numquid illius

unquam facibus accendi poterit pectus, quod infusa prius philosophiae praecepta irrigaverint? Imo vero etiam si antea subjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum instillata philosophia restinguet. Ea enim magistra ac praeceptrice cognoscimus, verum decus veramque gloriam in sola virtute positam esse; eam qui consecutus sit, quid alii de se judicent, non admodum laborare oportere, praecipue vero despiciendam levis et imperitae multitudinis temeritatem, quae ad mandandos honores caeco saepius et inconsiderato impetu, quam certo et explorato judicio fertur. Praeclare et sapienter Cato, malle se, dicebat, quaerere homines, cur sibi posita non esset statua, quam si quaererent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt veri omnes philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Aeschylus, quam videri optimos malunt; honores autem et magistratus aut non petunt aut alienae, non suae, utilitatis causa petunt; neque, si adepti sint, exsultant; neque, si repulsam tulerint, anguntur animo, sed placate id et moderate ferunt aut, si quando dolent, rei publicae dolent vicem, non suam. Caesarem ferunt, cum pontificatum petiturus ad comitia descenderet, matri dixisse, illam eo die aut pontificem habituram filium aut exulem. Jam tum praesagire ac praecognoscere licebat, ambitionem illam ingens aliquod malum civitati daturam. Itaque quid postea effecerit, videmus. At Cato, in petitione praeturae etiam Vatinio posthabitus, aequissimo ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt Philosophi. Maximam voluptatem in praetermittendis voluptatibus: maximas opes in quieto ac contento suis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit; satis magnum regem, qui se ipsum regere; satis potentem imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit; qui vero eis plane domitis ac

subactis jugum rationis, quod illae ne conentur quidem unquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. Quod si libidinem, avaritiam, ambitionem pestes quasdam ac furias esse novimus, quae funditus humanam vitam conturbent; quantus honos habendus est philosophiae, quae se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificentius, quam verius, pollicetur? Videre vos opinor, quam se latus orationi meae campus ostendat, si, quaecunque hoc loco se offerunt, persequi et in singulis insistere atque immorari velim. Nam cum virtus nulla sit, de qua non splendide et ornate dicere, nullum vitium, in quod non graviter et copiose invehi liceat: quidquid de eorum utrolibet dici potest, idem ad philosophiam laudandam accommodari potest, quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem Latinorum omnium eloquentissimus vere ac merito nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initio pepigi, potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quae fusius explicare licuisset, compresserim ac coarctaverim, quam quod in alia re dilatanda evectus sim longius justo neque satis mihi temperare potuerim. Nunc illud mihi etiam atque etiam considerate: ceterarum omnium artium fines, neque eos modo, sed omnia prorsus, quae bona putantur in vita, nisi quis philosophiam vitae ducem habeat, pestifera ac perniciosa esse. Da homini non philosopho opes ac copias, da honores atque imperia, da firmam valetudinem, da gladiatorium totius corporis robur, da multarum magnarumque rerum cognitionem ac scientiam, da flexanimam illam, ut poetae vocant, et omnium rerum reginam eloquentiam, da quidquid in filiis parentum votis optari solet; quo ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eo illum magis et in

suam et in aliorum perniciem armaveris. Opibus abutetur ad suam libidinem explendam, imperiis ad alienam libertatem opprimendam, firmitate et robore ad obeunda facinora, scientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives suos, ad perturbandam rem publicam, ad omnia denique tum sacra tum profana permiscenda et evertenda convertet. Da haec eadem vero minimeque fucato philosopho; deum quendam ad bene faciendum humano generi e caelo demissum esse dices. Atque hoc illud est, quod in Alcibiade minore sive Plato sive Xenophon disputat, ea, quae suâpte naturâ bona sunt, sine scientia ejus, quod optimum est, quam eandem et philosophiam esse statuo, ad perniciem, non ad salutem, valere. O praeclaram laudem philosophiae, cujus ope ne mala quidem nocere; qua detracta, ne bona quidem prodesse possunt. Merito dixit Plato, nullum a diis datum esse hominibus eâ majus aut praeclarius donum. Merito Cicero, unum diem ex ejus praeceptis actum immortalitati anteponendum. Neque vero non illud ad ejus, de qua proprie sermo nobis institutus est, philosophiae laudem ac commendationem facit, quod omnia propemodum, quae a veteribus de philosophia honorifice dicta sunt, ad hanc pertinent, quae in vitae ac morum emendatione versatur. Non enim Plato, cum illam nobilissimam vocem, tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent philosophi, aut reges philosopharentur, intellexit, tum id eventurum, cum reges aut in disserendi subtilitate aut in pervestigandis rerum naturalium causis occupati essent: quae, quanquam praeclara sunt, longissime tamen absunt ab eo, ut beatas res publicas efficere possint: sed, cum virtutis pulchritudine incensi omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent. At contra quidquid inanibus

imperitorum ac maledicorum sermunculis adversus philosophiam jactatum est, quoscunque in eam aculeos scurrilis quorundam libido coniecit, quidquid ad minuendam ipsius dignitatem veteris comoediae licentia effutiit, id omne, si diligentius excutiatur, ad dialecticos potius et ad physicos, quam ad politicos, pertinere videbitur. Quod si ullus in orbe terrarum locus est, ubi politicen florere suamque dignitatem obtinere deceat, Romae id, Romae potissimum fieri debet, cui urbi a primo ipsius ortu divino permissu datum est, ut aliis imperaret; unde leges, unde jura, unde religionem ceterae nationes et olim petierunt et nunc petunt; unde quondam extiterunt tam multi clari viri, qui haec praecepta, quae nos traditari sumus, exemplo suo comprobarent. Nolite enim putare, illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Laelios ceterosque praestantes viros, quos olim haec urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta cum admiratione intuemini, quod de philosophia neque disputarunt fere neque scripserunt, eo minus philosophos fuisse. Vitâ illi, non oratione; factis, non dictis, moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi genus. Integritatem, justitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem et colebant ipsi et alios colere jubebant. Eo ad tantam majestatem atque amplitudinem pervenerunt, ut pleraeque gentes, quod ipse olim a talibus vîris subactae ac superatae sint, quam quod ipsae alias devicerint, praeclarius sibi ac gloriosius ducant. Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, cum victi tot post seculis glorientur? Eorum ergo potissimum exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atque exacuam neque ullum ex Aristotele praeceptum proferam, cujus non ex hac urbe plurima maximeque illustria exempla repetantur.

Constitui enim, quando Pius, optimus ac sanctissimus pontifex, qui ipse omnis virtutis perfectissimum exemplar est, eum mihi honorem detulit, ut a me virtutis et officii praecepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnibus eniti, ut ea non arido et inculto et molestis implicato quaestionibus orationis genere prosequar: sed, quantum id quidem in me erit, florido et ubere et, quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque distincto. Peto autem a vobis, ut, si et in iis rebus, quas tractare institui, summam dignitatem inesse cernitis et me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industriam meam diligentiâ ac benevolentiâ vestra adjuvetis. Dixi.

VI

TIBERII HEMSTERHUSII
ORATIO
DE
MATHEMATUM ET PHILOSOPHIÆ STUDIO CUM LITTERIS HUMANIORIBUS CONIUNGENDO.

Priusquam hujus diei, qui me mori majorum obsecundantem in hunc suggestum evocavit, solenni ritu defungar, in Ornatissimorum Virorum consessu pro concione mihi verba esse facienda video: quam ego provinciam cupidius expetitam si sponte mea suscepissem, abesse non poteram, quin ita me compararem, ut fiduciae dicendi et exspectationi vestrae facultas orationis elimatae et ad aures mulcendas compositae responderet.

Nunc quum nec meae me voluntatis arbitrium neque ulla gloriae reportandae cupido huc evexerit, sed sola muneris annui deponendi ratio paene protraxerit, eâ conditione persanequam difficili, qua tenentur qui operas oratorias publice promittunt, me solutum esse laetor. Satis ad me lucri superque rediturum est, si fastidium Auditorum meorum, horula dicendo consumta, cujus tantilli temporis jacturam haud aegerrime vos esse laturos auguror, effugere mihi contigerit. Hoc autem ut pro virili parte consequar, de tali quodam argumento hodie disputare cumque vobis agere decrevi, quod nec personae, quam

sustineo, non conveniat, et pronam dignitatis litterarum augendae ac promovendae voluntatem testetur.

Quum enim humanioris doctrinae cultu nullum unquam aetatis meae tempus vacasse libenter confitear, nemo mihi vitio vertet, si aliquid adiumenti, quantumcumque id erit, conferre coner ad extendendas eas literas ornandasque, quae mihi plurimum et voluptatis attulerunt, et non nihil fructûs. Quando quidem vero multae sunt eaeque diversissimae viae, quibus ad istum finem eniti licet, a duobus tamen quasi capitibus pendere potissimum, quicquid honori litterarum commodisque conducat, animadvertere mihi videor: nam priscorum inventis adstrui possunt atque adcumulari nova; itinera possunt adhuc inusitata, per quae facilius et breviore gyro ad Musarum aedem penetretur, aperiri; tum impedimenta extrinsecus objecta, quae varii generis currentibus obsistunt et impetum ingeniorum hebetare solent, doctâ manu amoveri atque e medio tolli.

Talis est vel rerum ipsarum obscuritas, vel mentis humanae imbecillitas, ut omnibus in disciplinis difficultates adhaereant spinosissimae, quibus superandis atque evellendis quantumcumque laboris atque operae fuerit impensum, semper tamen affatim restabit, in quo posterorum industria desudet, viresque suas exerceat. Mussitanda nobis est et aequo animo perpetienda haec ab ipsa natura mortalibus imposita conditio: illud demum acerbe ferendum videtur, si doctrinarum antistites impedimenta concilient atque admoliantur, quibus planus ad omnem excellentiam cursus retardetur ac propemodum sufflaminetur. Sane vix quemquam paulo peritiorem fugit, in omni eruditionis genere viros subinde extitisse, qui, legitimae libertatis expertes, affixi deserviebant iis opinionibus, quae, nisi melioribus auspiciis, quam ante

fuerant invectae, tandem ejicerentur, ruinam erant ipsarum disciplinarum tracturae.

Eadem illa calamitas saepe alias fundum nostrum literarium afflixit, atque etiamnum affligit: sunt plura, et non unius generis haec mala, quibus enumerandis nunc quidem supersedere lubet: illud intactum in praesentia praeterire et reticere nequeo, quod inter Musarum sacerdotes reperiantur haud pauci, iique celebritate nominis ac fama minime vulgares, qui sibi persuadent atque aliis etiam maximo opere persuadere contendunt, nihil ab officio Philologi longius abesse, quam ut rerum naturalium scientiam, mathematum cognitionem, philosophiam denique, praeposterâ et pessime collocatâ curâ consectetur: si quid forte luminis ad philosophum ex disertae orationis et litterarum ornamentis instructae copia redundet (hoc enim illi non gravate concedunt), at nihil emolumenti, utilitatis nihil ad Philologum ex isto tam tetrico et severo studiorum genere redire: quin multo citius igneam illam ingeniorum vim et alacritatem, quae omni Proteo mutabilior rationis exactae vinculis adstringi se non patiatur, meditando, resque procul a communi vitae usu reductas intuendo, retundi non tantum et exolescere, verum etiam extingui: quid enim ad vetustos scriptores, quid ad historiam rerum olim gestarum, quid ad priscae memoriae ritus antiquos, quid denique ad divinam poësin, quae concita Deoque plena furorem mentitur, illa truculenta mobilisque ingenii inimica rerum naturalium doctrina faciat? Ergo nihil aliud eorum judicio est reliquum, quam, simul atque Philologus aliquis in philosophiae castra se contulerit, statim amoenos illos Musarum hortos deserat, iisque in perpetuum valedicat, nisi potius foras protrudi velit, et tanquam inutile membrum recidi. His profecto spectatoribus si sub praecone de catasta Philosophia

veneat, nummo sibi addici recusent. Haec persuasio, pedetentim invalescens, si latius serpat, inque juvenum animos sese insinuet, equidem praevideo fore, ut veris solidisque litterarum humaniorum incrementis periculosus obex opponatur: aderit extemplo desidia laboris fugiens, lentaeque et per legitimos ratiocinandi gradus deductae cogitationis impatiens, quae suffragetur sententiae tam blandae suisque commodis indulgenti: atque ita tandem ex nobili fastigio, in quo laudanda majorum sedulitas eam collocaverat, ad literarum apices, comtulos loquendi modos, inconditam quandam historiarum farraginem, detracta Philologia suis decoribus spoliabitur, et spem prolatandorum finium abjiciet.

Equidem non intercedo, quo minus naturae quisque suae genium sequatur, neque reprehendendum arbitror, qui neglectâ, quam sorte quadam ingenii refugit, philosophiâ solis in litteris humanioribus habitare constituit, modo ne carpat nec injusta sententia condemnet ea, quae velut a rationibus suis aliena pro derelictis habuit.

Ad me quod attinet, sic existimo, haec utraque studiorum genera, philosophiam inquam et litteras humaniores, si dextras jungant et amico foedere consocientur, mutuis opibus atque auxiliis incredibilem in modum sibi invicem profutura: atque adeo me non poenitet publice profiteri, quantum ab eorum judicio, qui has disciplinas adversis fere frontibus inter se pugnare contendunt, dissideam. Vos AA. OO. si causae favetis, mihi causam eam breviter acturo animis linguisque favete.

Non est, cur in eo multum laborem et fixis veluti punctis definiam, quae sit philosophia, quas partes complectatur, quantam habeat amplitudinem: quae deinde litterarum, quibus splendidum ab humanitate nomen accessit, sint spatia, quis modus: haec sane

forent enucleate pertractanda, si multum haberent ad sententiam de controversia ferendam momenti: nunc nihil eorum, quatenus ad hanc causam pertinent, vos praeterit: nihil in animis vestris non haeret, usuque paene quotidiano perspectum est. Hoc tantum dicam, philosophiam intelligere me, non vanam illam et umbratilem, quae nugis et vitiligationibus scholasticis squalet, et ingeniis hominum tum torquendis, tum pulsa omni ingenua libertate servili jugo premendis inservit; aut quae, velut Minervam Jupiter, ex capite mundum procreat, sed veram, sed expurgatam, quae liberam erectamque mentem, nullis opinationum temere conceptis nebulis involutam, in rerum naturam immittit, experimentorum momenta ponderat, et ad normam Mathematicam exigit, nihil admissura, pro certo nihil venditatura, nisi quod ipsa rerum indoles perspicuo documento fidelibus oculis concrediderit: eam denique, quae nostra aetate summorum virorum cura detersis sordibus emicuit: cujus singulae partes novo decore, continuo recentibus inventis, adcurato expeditoque membrorum ordine, quotidie magis magisque expoliri gestiunt. Haec illa nimirum est philosophia, quam Philologo, si non plane necessariam, at certe perutilem esse contendo; quod quo facilius in animos illabatur, primum perpendite mecum, quaeso, omnium esse disciplinarum atque artium, quae ab hominibus excolantur, eam conditionem ac naturam, ut communibus quasi vinculis adstrictae arctissima cognatione contineantur, mutuasque sibi invicem operas praestent: hoc scitum adeo naturae congruit primisque principiis, ut jam olim a viris sapientissimis et animadversum fuerit et inculcatum. Quanquam pro ea, in qua versabantur, sciendi obscuritate ac velut infantia, non penitus inspexerint, quousque pertineat, quamque late porrigatur ejus effati veritas; tamen illam artium omnium

necessitudinem mutuam tam liquido cognoverunt, ut posteris regulam certissimam commendarint. Et jure quidem summo poterant: quid enim? unde nascuntur et originem ducunt doctrinarum rationes? nonne ab hominum ingenio repertae solertique meditandi studio constitutae prodierunt? quid porro? quo tendunt? quem sibi finem habent propositum? eo utique diriguntur cunctae, certe sunt dirigendae, ut homines veris utilitatibus mactent: quid autem hoc aliud est, quam mentis cultum et perfectionem expolire, quam vitam moresque solidis in fundamentis collocare? Jam fieri vix potest, ut, quae finibus istis comprehenduntur, mutuis inter se nexibus non cohaereant.

Haud equidem inficior, plurium disciplinarum terminos tanto intervallo disparatos videri ac sejunctos, ut omnis foederis societas penitus interclusa videatur: sed ea difficultas, quae olim et non ita longe altero abhinc tertiove seculo speciose poterat moveri, cum tempore mollita est, et tantum non dissipata.

Ortae primum vel ex barbarie renascentis iterum scientiae principia sunt informia, et tanquam in parvulo semine multifariam involutae: luctandum est, multumque sudoris exhauriendum, antequam proliciantur et explicentur: sed simul atque in lucem emerserunt, non tantum majus statim robur accrescit, sed etiam qui contractissimi fuerant primum fines late proferuntur, eum in modum, ut mox proximas disciplinas, deinde longe dissitas, mixtis paene confiniis attingant. Quis Vestrûm ignorat, ante literas exortas, juris prudentiae in barbariem immersae foedum squalorem et illuviem? enituit elegantioris doctrinae lumen, mirifico hominum studio celebratum; quid contigit? sic coaluerunt, ut, quicunque divellere conetur, utrique letalem plagam sit illaturus. Quo autem subtilius artes elimantur, atque ad altius

culmen educuntur, eo magis patescunt multiplices usus, qui inde ad alias disciplinas propagari possunt.

Verum audire mihi videor, qui dicat, jam teneo atque ultro etiam largior, esse quoddam commune disciplinarum omnium commercium ac mutuam societatem, qua strictius nonnullae, aliae laxius atque e longinquo ad se pertineant: quid autem? an inde tu conficies, eas esse Philologiae et Philosophiae rationes, tamque conjunctas, ut hanc addiscere Philologo sit necesse? quid vetustis scriptoribus eorumque explicationi accuratae, quid gentium antiquarum moribus, quid ceteris humanioris doctrinae partibus cum rerum naturalium investigatione et matheseos principiis est negotii?

Si quis ita secum existimet, hanc solam Philologo tribuendam esse provinciam, ut voculas et phrases Graecae Latinaeque linguae aucupetur, in litterarum apicibus exigendis habitet, exesis carie codicibus fixis oculis adsideat, diversas quae vocantur lectiones, velut maximi res ponderis, criticâ lance libret, pro hac tanquam pro aris et focis depugnet, illam tristi nota configat atque in perpetuum exilium abire jubeat, nihil ago, frustra contendo: lis decreta est.

Verum si contra Philologo illud quoque muneris incumbere statuas, ut rerum veritatisque cognitioni studeat, minoribus imbutus mysteriis majora adspiret, variam denique supellectilem ex vetustis monumentis colligat et commode disponat, qua augustam illam doctrinarum aedem exornet, jam causam susceptam haud difficulter obtinere mihi posse videor.

Eamus in rem praesentem, et per partes, quis fructus ad litteras humaniores ex philosophia diligenter exculta sit perventurus, ostendamus: ante tamen, quam eo descendam, monere opportunum fuerit, nullum esse disciplinae genus, quod ordinem elegantem et justum non requirat, ex positis prin-

cipiis, quae proxime consequantur, deducat, veri ac probabilis terminos recte discernat. Jam si via reperiri possit, quae mentem ipsa cogitandi consuetudine liberrimis legibus assuefaciat, eam tu non ingrediendam putabis? non omni studio persequendam? atqui philosophiae partes, quae in proportionibus rerum inter se comparatis versantur, hoc agunt, eo collineant, ut juncturis ad unguem factis, quae longissime videbantur distare, conglutinent, sub eandem formulam innumera redigant, ab eodemque principio suspendant.

Haec qui ita pertractaverit, ut vires mentis agendique formam proprio sensu exploratam ad alias doctrinas similem in modum traducat, nae is, mihi crede, domestico documento experietur, quantos fructus philosophiae cultus ipsi sit allaturus, si modo cum illo cogitandi ordine definitisque spatiis familiaritatem paulo majorem contraxerit: ipsa mens, quae haud secus ac corpus exercitio atque usu firmatur, condiscet sponte sine ullo jam labore in eas se cogitandi formas induere, quae rebus percipiendis maxime congruent. Binas nostro corpori manus addidit natura commodissimas omnium operum administras: mentem Deus auctor infinitis velut articulis et admirabili agilitate praeditis instruxit, quibus imagines rerum ad se delatarum comprehendat, verset, retineat.

Nunc ad Philologiam propius accedamus. Prima quidem Philologi materies est, in qua studiosissime occupetur, Graeci Latinique sermonis haud mediocris notitia: utriusque indolem et naturam perscrutari, elegantias habere in numerato, virtutem ac significandi potestatem scite posse interpretari, ad Philologi personam haud dubie pertinet: quum autem jam dudum ab usu hominum vernaculo certaque sede remotus exoleverit, illa nobis, quae perniciosum barbariei naufragium evaserunt, scripta veterum consulenda sunt, legenda, pensitanda. Quorsum vero,

et qua spe? ut nimirum veteris memoriae res gestas, priscorum hominum reperta, seculorum ordinem intueamur: homines nos natura finxit, eamque animis curiosam diligentiam insevit, ut nihil a nobis humani alienum putemus.

Ipsum quidem illud, callere linguam, si per se solum spectes neque majorem utilitatem intendas, magno opere ieiunum mihi videtur atque inanitatis plenum: quid enim proficias, ubi voces loquendique formulas in cerebrum constipatas ingesseris? Verum si quis ita calleat, ut philosophiae lumine admoto rimetur, qua via mentis humanae agitatio, societatis ineundae blandimento invitata, in condendis formandisque linguis processerit: quas leges, quasve proportiones cogitationibus explicandis observarit, quibus adminiculis sensus dissipatos sustentaverit ac velut quadam compagine revinxerit, quid omnibus commune, quid singulis privum et peculiare, quae sint earum in primis incunabulis sordes atque asperitates, quid quomodo easdem expoliverit aetas maturior et ad leniorem nitidioremque tum sonum tum mentis explanandae facilitatem elimaverit: haec, inquam, si quis fuerit rimatus, ille mihi demum videtur non nuda linguae cognitione contentus usum ejus perspectae ad humanum ingenium intelligendum conferre. Ut autem philosophicae meditationis expers de tali rerum genere ne cogitabit quidem, sic contra, qui rectis praesidiis firmatus illa detexerit, plenissimam inde mercedem philosophiae persolvet. Rebus igitur minime contemnendis, earumque veritati, quantum licet, agnoscendae omnis linguarum scientia par et aequum est ut inserviat.

Verum sicut illa quidem clavis, qua penetralia veteris sapientiae recluduntur, ita vicissim veras istius clavis dotes atque insignem praestantiam minime

perspexeris, nisi res ipsas, ad quas aditum patefacit, mente fueris complexus.

Sed aliud est in ipso linguarum fundo, quod philosophicae curam diligentiae vel maxime postulet: de fontibus vocabulorum loquor primis, verborumque notationibus, quas quae vestigat, artem etymologicam appellant. Id quidem in aperto est positum, si origo vocis fuerit enucleata, si prima significandi virtus eruta, non tantum derivatas inde vires atque elegantibus figuris alio deflexas multo facilius intelligi, sed etiam significationes in iisdem vocabulis paene contrarias eum in modum conciliari, ut ab uno tamen capite pendere perspicuum evadat. Res supra quam credi potest difficilis atque impedita: si Graecorum adeas grammaticos, nusquam magis inepti et ridiculi reperientur, quam ubi vernaculae linguae origines indagare satagunt: quid grammaticos accuso, quum Plato haud sane melius rem gesserit in Cratylo, nisi tamen venia sit Philosopho danda, qui contemta linguae suae norma etymologias, quas ipse veras non crediderit, ideo fuit fabricatus, ut rebus explicandis et disciplinae morali inservirent; simili propemodum ratione, qua verborum proprietates et significationes juris consulti Romani Stoicos imitati tradiderunt. Nec Romanis in hac arena felicior successus: Varronem, illum Romuli nepotum doctissimum, ab hac opera si spectaveris, vix erit, ut tituli laudem tueatur: quin nostra aetate qui eadem in palaestra fuerunt de industria versati, si unum exceperis et item alterum, haud minus fortasse quam veteres in tenebris micarunt.

Quae tandem fluctuationis tantae causa? quid viros egregios et omni laude cumulatissimos ita transversos egit? scilicet normam philosophicam, quae poterat eos sola in viam deducere, omnino nullam adhibuerunt: quod si proportiones derivandi certas

fuissent dimensi, aequabilem linguarum rationem perpendissent, ex principiis notis et rata lege constitutis ad ignotiora et recondita penetrassent, non est sane dubitandum, quin plerosque scopulos erroribus infames evitare potuissent, quo quidem in genere nihil est, quod majorem lucem afferat, quam plurium inter se linguarum comparatio. Sed nimis diu hunc locum urgemus.

Progrediamur ad historiam, quam, qui lucem veritatis nominat, vero praeconio Cicero affecit. Illa vero quibus quasi columnis binis innititur? animo jam occupastis AA. rectam temporum ordinandorum mensuram, et regionum locorumque certis finibus circumscriptam definitionem: Chronologiae Geographiaeque faces simul abjicies, historiae lumen extinxeris. Hîc autem neminem exspecto, qui pertendere sustineat, subtilius aut aeque subtiliter sine ullo matheseos adiumento utramque posse administrari. Multis errorum exemplis viri alioquin doctissimi testatum fecerunt, quam non tutum sit ab his auxiliis imparatum temerariis manibus ista sacra contrectare, Si longam in hac causa seriem argumentorum contexerem, esset cur mihi succenseretis AA., quod in re cunctorum oculis exposita vestro acumini diffiderem. Eo vos vocare melius est, ut historiam non solum intueamini tanquam rerum in hoc orbe gestarum fidam testem, verum ex ea parte spectandam vobis proponatis, quae ingenii humani per omnes aetates cursum, incrementa, fata, mirabilesque mutationes complectitur, et in lucidissima veluti tabella praepingit. Animadvertitis, opinor, quantus hic campus philosopho pateat, unde subsidia petantur ad aestimandas humanae mentis vires: hinc cum singulorum hominum indoles et agendi consilia, tum saeculorum praeses, ut ita dicam, et moderator genius perspicitur, qui, nunc afflatu secundo et salubriore,

alias pestifero et valde noxio, genus mortalium universum contingit.

Haec autem tota res quandoquidem in multos est ramos diffusa, illum tantummodo decerpam, qui ad philosophiam veterumque philosophorum sententias spectat. Hîc considerare licebit rationis humanae incunabula, primaque veritatis sed saepius obfuscatae semina; aestus animorum et contentiones ad recludendas latentis naturae venas: quid in rebus divinis, in naturalibus quid involutum, difficile, impervium fuerit: hinc colligitur, quibus progressibus vel erecta fuerit, vel iterum collapsa variisque fluctibus ac tanquam aestu quodam vexata philosophia, antequam in aetatis nostrae portum decurreret, et in stabili gradu collocaretur: quarum rerum enodata cognitio tantum mihi videtur habere dignitatis, ut vel sola veteres scriptores excutiendi desiderium commovere possit. Verum cedo mihi nunc aliquem prorsus alienum ab omni philosophiae peritia: is scilicet diversissimarum opinionum rationes expediet, singularum compagem quandam apte constructam effinget: quid quaeque Philosophorum sectae senserint, enucleabit: errorum fontes alte retrusos, mirificas humanae mentis praestigias ac ludibria deteget.

Haec qui praestiterit sine philosophiae non perfunctoria scientia, is per me vel lunam digito tangat. Nec tamen philosophus vicissim in hanc regionem delatus multum operae pretium faciet, nisi litterarum atque imprimis Critices opem imploraverit.

Admonet autem me percommode Critice commemorata, ne se intactam praeteream. Haec quidem, maximis studiis agitata atque in coelum paene evecta, suis pollet viribus nullumque sibi auxilium externum desiderat. Equidem is non sum, qui veris Critices laudibus invideam, aut quicquam detractum velim: sed veterum usus et consuetudo loquendi mentis illam

nobilissimam subtiliter sentiendi et judicandi facultatem nomine Critices signatam ad literas humaniores deduxit: quo jure quave injuria, nunc non disputo: illud quidem certissimum in modum liquet, vim illam mentis et sagacitatem, naturae dono tributam, in diversis hominibus longe disparem, in omnibus omnino disciplinis peraeque valere: is optimus esse mihi videtur, quamlibet artem tractet, Criticus, qui acutissime judicat et ad verum a tenuibus initiis profectus collineat. Serviamus tamen recepto loquendi mori, Criticumque dicamus, qui de veterum scriptis pensiculate judicium fert in iisque purgandis atque emendandis operam collocat. Multum sane abest, ut huic nihil utilitatis accedere putem a philosophiae cura. Quid enim? non jam patuit, quantum Philosophia sibi vindicet in discernendis hominum ingeniis, animi dotibus, stili formis? hac scientia enucleate percepta carere poterit, qui pretium scriptoribus antiquis statuet, virtutum gradus in singulis et discrimina determinabit?

Sed ad vitia certe labesque e Graecis Latinisque libris eluendas nihil certe conducet philosophia: imo vero nonnihil AA. optandum erat, ut ex instructissimo sapientiae aerario depromtas leges normamque sibi adscivissent Critici, non quibus libera vis ingenii et ictus ille mentis divinatorius implicaretur, sed quae, justa cogitandi trutina, certa ab incertis, firma a probabilibus, arguta et ingeniosa a veris distinguere docerent: nam in ipsis illis, quae magnam prae se ferunt probabilitatis speciem, diversissimi sunt gradus et ab utroque fine variis intervallis remoti. Utinam hanc viam praeclari viri fuissent ingressi, non tot futilibus commentis ac conjecturis onerata foret res literaria, foedati corruptique tot scriptores.

Rationibus adhuc pugnatum: sed forte nobis

adversatur antiquitas illudque posteris imposuit jus, quod illarum artium, quas ego copulandas esse jam dudum disputo, fines in perpetuum confundi vetet. Conturbarer equidem in hac agenda causa, si me tantae auctoritatis, quam non minima philologorum turba haud secus ac Pythii tripodem veneratur, pondere pressum intelligerem. Nunc tantum abest, ut periculi quidquam ab ea parte sit metuendum, ut ultro illis, qui mecum dissentiunt, viros veteris aevi maximos feram judices. Saepe apud animum meum miratus sum perversum eorum institutum et inconsideratum, qui proscriptam philosophiam extra litterarum humaniorum limites ejiciunt, haud aliter atque ingeniorum suffocatricem: saltem aemularentur Platonem, qui Homerum poetarum principem e re publica quidem sua facessere jussit, sed, ut religionem viri cunctis incuteret, oleo delibutum ac laneis vittis circumdatum. Agite ergo videamus, antiquitatis judicio quam bene suis rationibus consulant, qui philosophiam eliminatam cupiunt.

Primum in dubium vocare nullus potest, quin, qui principes humanioris scientiae fundamenta jecerint, iidem fuerint et philosophi: testantur librorum, quos posteris reliquerunt, indices; ex quibus docemur, neminem unum fere esse antiquorum philosophorum, qui non partem aliquam humanioris doctrinae sibi sumserit illustrandam eâque operâ ad posteritatem commendari voluerit. Rhetorices praecepta modumque quis constituit? quis divinae poësios leges descripsit atque in ordinem redegit? nimirum Aristoteles. Tantorum igitur nominum reverentia et beneficiorum ab iis acceptorum memoria, non exorabit, ut aliquis etiam locus in amplissisma Philologiae regione studio sapientiae concedatur?

Jam porro quales sunt illi scriptores, qui Philologiae proram et puppim constituunt? vel philosophi,

Bayerische Staatsbibliothek München

vel philosophis addictissimi: adeo sibi persuaserant olim, eruditionem omnem sordere, nisi philosophiae lumine fuisset collustrata. Platonem nominatim citabo: ejus volumina, divina quadam scribendi gravitate et eloquentiae paene poëticae floribus insignia, num spernet Philologus, assiduaque manu evolvere refugiet? non opinor: quamquam eo jam res redierit, quod majores nostri litterarum statores abominabantur, ut id genus auctores clarissimi de manibus excussi fere jaceant et vix ac ne vix quidem lectorem inveniant. Legent itaque: at quomodo? ut orationis lumina quaedam decerpant, nudas voces verborumque figuras consectentur; mentem interea, philosophandi vias, doctrinae corpus non curent? dixerit aliquis audacior, haec ad se nihil pertinere; plures tamen, credo, pudor retinebit, ne temerariae sententiae subscribant, subscribere saltem se profiteantur. Jam si acies in haec sine dubio praecipua fuerit intendenda, unde sibi ad intelligendum certissima praesidia comparabit Philologus? nempe a philosophiae cultu: ne nunc dicam, multa magni Platonis sine Matheseos adjumento ne capi quidem omnino posse: nedum ut errorum, quos vir excellens, et homo, et illa aetate vivens, admisit, convincantur. Mitto alios, in quibus, quod de Platone tantum quod diximus, eodem pacto valet. At quem possim Cicerone priorem in hac causa mihi patronum adsciscere? cujus auctoritas apud Philologos tantum habet pondus, ut, eam si quis defugiat, piaculum committere videatur. Hospes ille fuerit in Tullii scriptis, quem praetereunt amplissimae laudes, quibus philosophiam et condecorat et popularibus suis enixe commendat: ejus autem latinis litteris expositae cumque civibus communicatae gloriam patriae ex improborum faucibus ereptae et conservatae vel parem vel proximam ponit. Meminerint itaque philosophiae osores, cum Cicerone sibi rem esse, et

si minus nostris rationibus, tanti viri auctoritate vinci se patiantur.

Quam vero vellem, praestantissimi juvenes, — vos adpello, quos nobilior et erectior indoles faustis avibus ad Musas et digna vobis sacra excitavit, quorum pectus de meliore luto conflatum est, — quam vellem haec mea Philosophiae literis adjungendae commendatio non auribus solum, sed animis accepta foret benignis: subvereor equidem, ne vestrum nonnulli molem studiorum improbam humeris suis imponi graventur. Pellite vanos metus, quaeso, et simul socordiam, grande illud profectuum impedimentum, procul excutite: nec nos percellat odiosum illud, sed inexpertis solis, Matheseos nomen: ut vos mihi conciliem, querelasque vestras leniam, dicam paucis. Sic habetote, nihil utilius esse, nihil opportunius, quam ut in latissimis eruditionis humanae campis certos, quos studiose colat, quisque sibi fines designet, neque tamen intra limites semel fixos ita se tanquam glebae adscriptus contineat, ut eos transire religioni ducat, et ceteras doctrinae regiones non secus ac triste bidental contactum fulmine devitet: aliud nos monent mutua, de quibus dixi, disciplinarum commercia, quae liberaliter communicatis opibus sese sustentant: verumtamen quicquid in alieno decerpis, diligenter inspectum et consideratum in usus tuae illius, quam selegisti, doctrinae recondito. Idem ego severe vobis, si quid auctoritati meae tribuitis, interdico, ne proterva ingenii desultorii levitate, sive potius libidine, huc illuc temere vagemini, quae primis modo labris degustaveritis statim, si displicuerint, fastidiose relinquentes: pestis haec est et pernicies eruditionis solidae. De Mathesi quoque, si quaeritis, verbo respondebo: gratulor vobis seculi, quod vivitis, felicitatem; haec laborem illum ingentem, quem scilicet horrebatis, mirifice compendifecit:

Bayerische Staatsbibliothek München

dummodo quis ingenio nunc sit praeditus haud absurdo, intra breve trium, ne minus quam par est dicam, annorum spatium plura certioribusque fundamentis nixa cognoscet et animo complectetur, quam, non totis duobus abhinc seculis, homini vel acutissimo per omnem vitam sperandum erat. Scaligerum miramur, et merito quidem, qui immenso labore primus temporum ordinem instauravit. Quam vili nunc vēnire creditis, quam parvo tempore comparanda, si quidem vera quis principia combiberit, quae plurimis annis et incredibili labore Viro incomparabili constiterunt. Ecquid terrorem, qui animos perceperat, sedavi aliquantulum, aut potius dispuli? sic opinor; quod bene vertat. Vos ita studiis incumbite, ut ego vobis optime volo. Dixi.

VII

JACOBI FACCIOLATI

ORATIO

DE

STUDIO PHILOSOPHIÆ.

Habita Patavii Anno MDCCXVI.

Quod eos fecisse puto, qui, primum Abylam et Calpen praetervecti, nova ingredi maria novasque regiones quaerere ausi sunt, ut multis subinde difficultatibus impediti, aliisque ex aliis periculis territi, suam ipsi levitatem audaciamque incusarent; id ego hodierna luce facio, qui ex minoribus facultatibus, longo mihi usu familiarissimis, tamquam ex patrio littore solvens, Oceanum ipsum tentare coepi, et Philosophicae provinciae velificari. Aliud est enim de oratiunculae partibus, ac de naturae principiis disputare; aliud syllabas metiri, atque orbem terrarum; aliud denique rerum nomina, ac res ipsas, quae coelo terrâque continentur, ad multorum institutionem definire, distinguere, illustrare. Nullus hic verborum globulis locus, nullus translationibus, nullus antithetis; exulat elegantia, jacet amplificatio, artificium omne figuraeque frigent, quibus juventuti nostrae aliquando imposuimus et in dicendo esse aliquid visi sumus. Quamquam sit hoc difficile multis, qui se rhetorico

ludo conclusos existimant umbraeque illius terminis totâ vitâ circumscriptos; mihi vero non debet esse arduum, nec inusitatum, qui ab ipsa adolescentia ex loci hujus institutis in omnes disciplinas excurri; qui Philosophiam ipsam triennium professus sum; qui demum ita in oratoria facultate constiti, ut non eam Quinctiliani praeceptis definiri putarem, sed infinita quadam artium ac disciplinarum cognitione comprehendi, quibus pro re nata (quantum quidem popularis artis natura patitur) in foro, in curia, in judiciis uteretur. Accedit, quod ex omnibus disciplinis nulla est tam eloquentiae conjuncta, quam Philosophia, quae ne distincta quidem ante Socratem fuit; et cum per illum distincta est, pristinae tamen communionis memoriam adeo retinuit, ut consecutis inde temporibus Philosophi praestantissimi nimiae contemplationis laborem scholaeque severitatem dicendi exercitatione temperare consueverint, et oratores eloquentissimi a fori curiaeque tempestate in Philosophicas litteras tamquam in portum aliquem sese recipere. Verum, utcumque est, juvat fidem solvere tribus abhinc annis vobis obstrictam; et id, quod sentio de hujus facultatis studiis, non ex officio solum, sed ex more quodam meo mihique insitâ dicendi libertate sine ulla trepidatione patefacere. Ego equidem, Auditores, et ab aliis saepe quaesivi, et mecum ipse reputavi, quid causae esset, quod, cum adolescentes in Philosophicis scholis diutissime teneantur, nihil tamen inde nisi praejudicia quaedam plerumque colligant, quibus quasi superstitione adstricti, ne fieri umquam Philosophi possint, impediantur: cumque et ejus aetatis imbecillitatem, et scientiae naturam, et communem docendi rationem attente considerassem, in eam denique opinionem veni, ut existimem constanterque defendam, *nullam Philosophiam, seu veterem sive novam, adolescentibus tradendam esse, nisi historicam*.

Historicam porro cum dico Philosophiam, disserendi studium prorsus excludo, et grandia illa Academicorum, Peripateticorum, Democriticorum nomina adolescentibus adimo, quae consequi tam mature nequeunt; nec vero umquam consequentur, si immature affectabunt. Hoc ut ostendam, multa mihi de tota ratione Philosophiae, multa de adolescentum ingeniis, nonnulla etiam de magistris dicenda erunt; in quibus non vereor, ut aequissimos hujus civitatis Professores ne levissime quidem offendam, quos extra omnem ingenii aleam multis in rebus perspecta sapientia, ordinis dignitas, fortuna loci, et quod longe maximi momenti est, Principis judicium constituit. Non eadem est ratio privatae publicaeque scholae; quaeque nos in hac umbra nostra angustissimis definita regionibus vel probanda vel saltem ferenda ducimus, ea si in tantam illam lucem hominumque conspectum afferantur, vel nimis exigua sunt, vel etiam fortasse inepta. Imo ne nostris quidem ita dico, ut statim majorum instituta mutari velim novamque iniri philosophandi rationem: quippe mihi ipse imperavi, nova multa, si fieri per me possit, excogitare, sed paucissima facere.

Scholarum fere omnium consuetudine receptum est, ut Rhetoricis studiis Philosophica statim succedant; quod haec omnibus disciplinis communia sint viamque ad contemplandum et intelligendum patefaciant. Sive enim Medicus esse velis, sive Theologus, sive Jurisperitus; sive demum ad poesim aut eloquentiam redire; facem veluti quamdam facultatibus ceteris praefert Philosophia, illis se omnibus inserit, magnamque sui partem pro cujusque necessitate liberalissime suppeditat. Sed cum philosophandi rationes multae sint, maximeque diversae, nulla est earum tam diligenter colenda, si fructum quaerimus institutionis, quam quae latissime patet

et ad quamlibet disciplinam contendentibus auxilia plurima ferre potest. In quo si Philosophos ipsos consulamus, hanc sibi quisque laudem magnis clamoribus sumet atque arrogabit; sin autem ratione agamus, facile reperiemus, non vetus philosophandi genus, aut novum, non Academicum, non Stoicum, non Peripateticum tot tantisque rebus sufficere; sed unum illud, quod omnia cum veterum tum juniorum Philosophorum dogmata, sine ullo partium studio descripta et exposita, complectatur. Si enim Theologis Aristoteles potissimum et Plato, si Pythagoras Mathematicis, si Moralibus Socrates, si Solon et Lycurgus Jurisperitis, si Medicis utiles illi sunt, qui non tam contemplando, quam experiundo philosophantur; ad omnes istorum libros adolescentes ducendi sunt omniumque doctrinis instituendi, ut, quocumque tandem sive necessitate sive consilio sive etiam casu aliquo deferantur, munitissimi accedant. Neque vero hoc tam est infinitum, quam sibi aliqui fortasse fingunt. Ita me Superi ament, ut multo plus operae ac laboris insumunt, qui uni se Philosopho dediderunt ejusque cogitata omnia per ambages aeternasque lites proposita addiscunt, quam qui Philosophorum omnium opiniones simplici narratione conclusas memoriae mandant. Ut enim principem totius Philosophiae locum attingamus, nonne facilius est naturae principia, quaecunque sunt pro sectarum varietate inventa litterisque tradita, in medium afferre, et sine ullis controversiis explicare, quam se totum ad unius hominis auctoritatem conferre, cujus dicta innumeris quaestionibus enucleanda sint, argumentis munienda, privatis publicisque experimentis propugnanda? Memini ego, memini, quam multis non diebus, sed mensibus, quantoque cum taedio ingentia illa volumina aliquando volutarem, in quibus de Aristotelica materia, de forma, de pri-

vatione tantopere disputatur; nihilque demum percipitur, nisi hominis unius sententia, acuta certe quidem et Aristotele digna, sed immensis difficultatibus involuta, anceps, ambigua, et antiquis oraculis paene similis. Animadverti saepenumero, quam totum illud scrutandae naturae genus auditoribus itentidem oscitantibus displiceret, cum magno verborum apparatu magnâque animi contentione quaererem, *utrum privatio esset aliquid*; *utrum cum materia et forma componeret totum*; *utrum totum ipsum a suis partibus simul sumtis distingueretur*; *utrum materia potestas esset*; *utrum sola posset existere*; *utrum nihil*, *an non ens appellari deberet*; et id genus alia alio tempore et aliis hominibus fortasse pulchra. Sed haec cum more facerem institutoque majorum, nec aliter facere vellem, quam juberer; id tamen inde usque decrevi, si quando mihi dicendi publice copia daretur, totum hoc, quidquid est operae, improbare, et historicum quoddam philosophandi genus proponere, quod varietate rerum et facilitate juventutem alliceret et sine satietate detineret. Quanto enim est ad docendum liberalius, et ad discendum expeditius, si dicas, res omnes apud Pythagoreos materiâ numerisque constare, hoc est materiâ certo partium numero compactâ; materiâ et ideis apud Platonicos, hoc est materiâ per varias divinae mentis ideas varie dispositâ; apud Peripateticos materiâ et formâ, hoc est materiâ per suas formas absolutâ et perfectâ, et in certis rerum generibus collocatâ? Quod si addas infinitum Xenophanis et Melissi, chaos Empedoclis et Anaxagorae, plenum et inane Democriti, frigidum et calidum Parmenidis, terram Hesiodi, aquam Thaletis, aërem Anaximenis, ignem Heracliti; tantumque in singulis immoreris, quantum satis est ad explicationem; jam id effecisti in parte totius Philosophiae difficillima et implicatissima, quod omnes debeat adolescentes non

dicam ingenuos et ad studia natos, sed etiam bonarum artium osores mirifice delectare. Ex quo etiam fieri potest, ut illi ipsi, qui consuetudine potius aut otio quodam, quam philosophandi cupiditate, Philosophos audiunt, multiplici hac et expedita cognitione pellecti aliarum rerum cogitationem deponant et in hoc studio perpetuo consistant. Qamquam quis est unus ita philosophandi cupidus et ad has praesertim Dialecticorum ambages, unde gravissimae facultatis initia ducuntur, ita factus, ut eas statim avidissime arripiat et sine ullo magistri artificio persequatur? Omnes ferme adolescentes, quicumque ingenio aliquo et industria valent (tardis enim et inertibus aeque omnia solent esse molesta et impervia), omnes, inquam, istiusmodi adolescentes a suavissimo Musarum amplexu inviti divelluntur, ut ad severissimos homines Zenonem et Aristotelem adducantur; nec mihi adhuc inventus est ullus, quin ipso in limine valde palluerit, tamquam ab amoenissimis hortis in vepres et dumeta compulsus. Quod si qua ratio est terroris hujus vel tollendi prorsus vel minuendi, ut certe non deerit disserendi libidinem coercenti, quid est cur nolimus auditoribus hilaritatem et scholis frequentiam comparare? Sed hactenus de illis, quorum vitae ratio dubia est, necdum, quo tendant, certo consilio constituerunt. Agedum ad illos veniamus, qui, politicorum litterarum cupidissimi, eo curas omnes ac studia referunt: neque enim omnes tam brevi oratione complecti possumus, neque tamen illos omittere debemus, quorum ipsi laudem et gloriam sequimur, tametsi non assequamur. Jam porro cum litterarum et eruditionis nomine veterum scriptorum interpretatio praeter cetera contineatur, tantumque pateat provincia haec (ne quid supra hominis vires ab homine postulemus), quantum Graecae Romanaeque litterae; uter de se plura praestare poterit et magnam illam eruditi

personam sustinere, isne, qui totus sit Aristotelicus, vel Platonicus, vel Democriticus, an vero ille, qui Aristotelis, qui Democriti, qui Platonis, qui denique Philosophorum omnium, quicumque in aliquo numero sunt et familiam aliquam ducunt, opiniones teneat, alias ab aliis distinguat, et ad auctorem quamque suum, ubicumque invenerit, referre possit? Primus quidem ad pugnandum paratior erit et, si quid incidet ex schola sua, Philosophus etiam judicabitur valde bonus; sed, ubi se alia ex aliis scholis petita pro Scriptorum varietate offerent, in plerisque deficiet sibique dissimillimus nec Philosophus esse videbitur nec eruditus. Alter vero ad philosophandum nullo certo genere acer, sed in omnibus tamen diligenter instructus, perpetuâ quâdam sibique consentiente doctrinâ in omni antiquitate versabitur, et quidquid occurret ex Philosophia, cujuscumque tandem sit aetatis, cujuscumque sectae, cujuscumque hominis, ita pertractabit, ut id potissimum profiteri videatur, nec tamen ad loquacitatem et contentionem profiteri. Vix dici potest, in poetarum praesertim interpretatione quam multa requirantur ex omni Philosophica historia depromta. Stoici quidam sunt, quidam Epicurei; sed neque Academici desunt, neque Peripatetici, neque Pythagorei, et in uno saepe carmine multorum Philosophorum placita conjunguntur. Accedat huc aliquis ex illis, qui tantopere sibi placent, quod sectae alicujus nomine censeantur: haerebit identidem, dubitabit, hallucinabitur, modo librarium negligentiae, modo poetam obscuritatis postulabit; et ipsa illa, quae recte dicet, timide, cunctanter, ambigue, quasique divinando dicet. Ex hac totius Philosophicae eruditionis ignoratione magna quaedam Criticis scribendi seges exorta est, qui Homerum praesertim tamquam ineptum fabularum narratorem condemnarunt, quod multiplicis sapientiae semina,

ex vetusta Ægyptiorum ac Phoenicum disciplina collecta fabulisque conclusa, non intelligerent. At enim paucis loquimur; nec tanti est in litteraria re publica Grammaticorum et Rhetorum ordo, ut statim Philosophicae institutiones ejus causa mutandae sint. Non omnia brevissimo tempore afferri possunt, ut ante dixi: verumtamen si numero agenda res est, non eruditos modo, sed universam hominum societatem complectar, quibus ad honeste colloquendum seque mutuis sermonibus oblectandum tanto magis studium hoc nostrum plurimâ cognitione diffusum prodesse ostendam, quanto pulchrius est, multis in rebus versari dicendo posse, quam eodem semper vestigio haerere eademque recoquere. Etenim si humanae vitae conjunctio nulla re magis, quam honesta quadam et jucunda sermonis communione alitur, quid est quod hominum consuetudines et familiaritates magis ornare possit, quam collecta haec ex omni Philosophiae genere, de quacumque re, quae in disceptationem cadat, dicendi copia et prudentia? Etsi autem non omnis de rebus Philosophicis controversia est, nulla tamen ceterarum facultatum tam ipsa per se constat, quin ad veteres Philosophos, unde omnis profluxit cujuscumque generis scientia, aliquo modo referatur; ut, qui se hac in parte munierit, nullum doctissimorum hominum sermonem, nullam disputationem reformidet. Itaque si quis est, quem potissimum velim Philosophica historia ad elegantiorem vitae usum erudiri, ii certe sunt, a quibus nobilitas generis et fortunarum copia nihilo plus scientiae postulat, quam quantum ad honestas amicitias conciliandas et probe colendas politissimis moribus satis sit. Nihil enim in amicitia potest esse insuavius, quam intemperantia illa subtilius disputandi, et quaesita alternis paene verbis in uno aliquo genere scientiae opinio: quo tamen morbo omnino carere nequeunt homines isti molestissimi,

qui non multiplicem, sed magnam eximiamque cognitionem e scholis haustam profitentur. Fac enim illos sibi videri Peripateticos (magnum sane nomen, et antiquae gloriae fama verendum, ac paene sacrum, si loco et tempore usurpetur; ridiculum, si ad ostentationem obtrudatur), fac, inquam, eorum aliquem Peripateticum sibi videri: nullum jam licet inferre sermonem, quin eodem recidatur. Graecorum rem publicam attingis? Graecorum, inquit, Aristoteles sapientissimus fuit. Macedonas appellas? Magnum, inquit, Alexandrum instituit Aristoteles. De Rhetore aliquo mentio est? At ille, Rhetorica praecepta Aristoteles optime scripsit. Ad Philosophum transis? Hic vero magna voce clamat, Philosophorum princeps est Aristoteles. Nihil denique nec infra Lunam neque supra nominabis, quin ad Aristotelem et Aristotelicos libros, velis nolis, citissime deducaris. Nimirum nihil praeterea novit. Quare nobilissimi adolescentes, qui ad unam communis vitae elegantiam civilemque convictum instituuntur, ne quando per haec aut similia ridiculi fiant, non tam, ut multum discant, curare debent, quam ut multa. Ergo, inquiet aliquis, adolescentes illi, qui Philosophi futuri sunt, totiusque gloriae aut etiam vitae spem in hoc studio collocarunt, certis se claudere finibus debent partesque illas mature eligere, quas deinde sine ulla aberratione sequantur. Equidem non diffiteor, in re ceteroquin valde plana id unum esse scopulosum atque difficile, quod Historica Philosophia satis ornare videatur ad alia pergentes, non satis munire philosophantes. Videte, Auditores, quam nihil dissimulem: sed simul illud pro vestra sapientia cogitate, quam nihil meae causae diffidam, qui locum maxime lubricum extrema oratione persequor et, quod ex arte declinare debueram vel leviter attingere, id totum explico vestrisque cogitationibus ac prope oculis,

quantum quantum est, ingenue subjicio. Age igitur, habete quid sentiam. Mitto, quanto illi ornamento sit, qui se Philosophum putat, omnium Philosophorum historiam a primo illo inventore Thalete (quantum quidem antiquissimarum rerum memoria concedit) distincte cognoscere; quae singulae sectae fuerint, quando inventae, quomodo propagatae, quamdiu cultae, qua ratione sublatae: mitto, quam sit etiam necessarium proponenti sua, in eodem genere aliena non ignorare. Hoc unum dico, quod maximam vim apud homines sapientissimos habere debet, qui velit ex multis philosophandi rationibus unam eligere, eum temere prorsus facere, nisi omnes sibi ante oculos ponat, accurate perpendat, mature prudenterque dijudicet. Nisi forte, quod accidit Chaerephonti, ut oraculi voce ad Stoicos mitteretur, id sibi quisque promittit mactatisque hostiis in ipso Philosophiae limine de secta eligenda Apollinem sciscitatur. Zeuxin ferunt Heracleoten, cum pulcherrimae mulieris simulacrum ex Crotoniatis virginibus effingere jussus esset, cumque in palaestram ductus mira dignitate pueros vidisset, ex quorum sororibus formosissimas conjiciendo deligeret, non prius tamen delectum habere voluisse, quam virgines ipsae unum in locum publico consilio conductae essent et suismet oculis singularum formam aspexisset ac judicasset. Quod si nos parem in re multo gravissima diligentiam adhiberemus, profecto non committeremus, ut adolescentes nostri Philosophi casu fierent et unam aliquam sectam suspicando amplecterentur, contra ceteras propugnandam, quas illis non ratio, sed impetus et inscientia reddit invisas. Nihil enim tam ridiculum dici potest, quam quod isti respondere solent, quoties interrogantur, quemadmodum Hermotimus a Luciano, quonam certo consilio ducti eam praeter ceteras viam inierint, quam sequuntur, eumque

sibi ducem elegerint, cujus praeceptionibus irretiti, reliquos omnes nullâ re sibi nisi nomine cognitos contemnunt, irrident et falsi crimine, indictâ causâ, condemnant. Ecce autem praejudicia illa, quibus homines ab ipsa adolescentia occupatissimi ad philosophandum accedunt, et rationi et sensibus ipsis fidem potius negare parati, quam susceptas partes umquam deserere et aliena probare. Utinam vero haec, ut multi damnant in publicis privatisque scholis, ita tollere conarentur. Sed nimirum facilius est recte dicere, quam recte facere. Cur enim qui maxime possunt, non tamen occurrunt morbo huic? Quin ita adolescentum studia regunt, ut, quoniam aetas illa ad recipiendum aptissima est, nec Platonem Deum esse sibi persuadeant, nec Aristotelem, neque Democritum, sed omnes omnium opiniones percurrant tamdiuque retineant, donec ipsi per se, confirmata jam aetate, singulas singulis conferre possint, libereque rejicere, libereque probare? Sunt illi quidem pro suo quisque ingenio valde praestantes et ea fama digni, quam sibi multorum saeculorum consensu pepererunt; sed nihil profecto est aut a natura aut ab arte simplici in genere omnino perfectum, maximeque curare debemus, ne cujus doctrina tenellis mentibus altissime consignata ita illas assiduo usu et quadam, ut ita dicam, familiaritate capiat, ut vitia quoque libenter suscipiant aliorumque praeclare inventis pertinacissime praeponant: quod quidem tantum abest a recta veritatis inquirendae ratione, nihil ut magis veritati possit esse contrarium. Ex quo Philosophi esse coeperunt, satis superque compertum est, convelli praejudicia non posse. Quin ergo curamus, ne fiant? Quin scholas ea prudentia moderamur, ut odio et amore vacui exeant adolescentes, ipsique per se libere, cum primum potuerint, philosophentur? Nam illud quid attinet refutare, quod

haec mihi proponenti quispiam fortasse reponet; nimis jam esse Philosophorum, nihilque pro tanta copia laborandum, nisi ut sapientissimum mature eligamus, a quo uno quidquid est in ceteris boni et ipsum per se facillime cognoscamus? Apage sis. Annon enim hoc ipsum sapientissimi hominis est, statuere, quis sit sapientissimus? Fac porro statuas. Ex veteribusne aliquem, an ex nostris? Si ex veteribus, Platonis ideae offendunt Aristotelicos; Aristotelis forma non placet Democriticis; infinitae Democriti atomi non probantur Pythagoreis; Pythagorae monas displicet fere omnibus; tantâque se mutuo contentione petunt, ut alius alii non minus quidem sapere, sed plane desipere videatur. Si ex nostris, quis ita ingenii doctrinaeque famâ omnium hominum suffragium tulit, ut eum sapientissimae antiquitati totique scriptorum ordini sine injuria praeponas? Difficile est enim abstinere risus, quoties boni viri ludum aperiunt magnisque promissis ante denunciant, se non Platonicos esse, non Aristotelicos, non Gassendicos, non Cartesianos; esse in veteribus, esse in novis, quod sibi displiceat; esse etiam in utrisque, quod placeat; nemini se auctoratos fore, sed ex omnibus optima colligendo, suisque miscendo, liberum philosophandi genus ingenti cura et meditatione quaesitum allaturos. Euge, belle, pulchre, tibi Musisque gratulor. Accedant adolescentes, audiant, excipiant, in codicem referant: nihil est editum post homines natos aeque divinum; exscribere oportet. Ac mihi quidem ita videtur, nihil esse adolescenti periculosius, quam hujusmodi homines ab initio offendere, qui non vident, quando quidem certum Philosophiae genus tradendum putant, satius esse unum aliquod ex illis tradere, quae probatissima sunt et auctoris famâ commendata, quam suo de nomine Philosophos facere, et cito dediscenda venditare. Sed ego haec

adolescentibus persuadere fortasse potero, magistris persuadere non potero, qui nullam se laudem referre clamant, si nihil de suo nisi vocem in scholam afferant. Hoc scilicet eorum vitium est, ut velint non ad discipulorum utilitatem, sed ad ingenii ostentationem docere, nec tam esse magistri, quam videri Philosophi. Sed heus tu, si ratio haec qualiscumque Philosophiae illis utilis est, quorum causa laboras, quid est, cur gloriam aliunde quaeras? Satis laudis retulisti, si officio satisfecisti. Praeterquam quod itane sentis ex animo, hanc docendi rationem carere laude? Ergo laude carent Theologi hujus aetatis praestantissimi, qui subtilissimas quaestiones ad exercendum ingenium excogitatas longissime ablegarunt totamque gravissimam scientiam Scripturae praeceptionibus, Sanctorum Patrum dictis et Conciliorum decretis concluserunt. Jam isti omnes, qui non sua, sed aliena fideliter referunt, Theologi nomine indigni sunt: inveniant oportet, excogitent, comminiscantur, tum vero sapere videbuntur. Sed alias erit de Theologis sermo; ad Philosophos redeamus, quos ego ab inveniendo non revoco, si quidem possint, sed rogo obtestorque, ut aliam quandam docendi, aliam contemplandi exercitationem esse constituant. Non est Philosophi narratorem agere: at est praeceptoris. Historia Philosophica non est Philosophia: at neque possunt adolescentes, neque tam cito cupiunt esse Philosophi. Sed quaenam istorum est, Dii immortales, Philosophia? Annon humanae mentis vires cognoscere pro varia corporis conformatione singulis aetatibus varias, pars quaedam est, nec sane parva Philosophiae? Nunc illi quidem satis cognoscere videntur, quid tradere possint; non satis tamen, quid illi capere, quibus tradunt. Si enim pro illa, quam sibi arrogant, naturae cognitione reputarent, eam cerebri partem, qua hominis animus ad ingenii me-

moriaeque munia, quamdiu corpori conjunctus est, necessario utitur, ita in adolescentibus conformatam esse, ut sua quadam mollitie facile excipiat quidquid injicitur, eâ tamen ipsâ mollitie impediatur, ne spiritus ad intelligendum facile expediat et moderetur; non sane erubescerent, aetati illi consentanea narrando potius, quam disserendo consignare. Atqui dum sua crepant, dum eadem perpetuo dicunt, repetunt, confirmant, insinuant, non id assequuntur, ut auditores minime apti repente Philosophi prodeant, sed ut ejus doctrinae, quaecumque est, praejudiciis occupatissimi ac veluti sacramento rogati nullam praeterea pati possint Philosophiam. Quam vero indecorum est, quam incongruum, quam a tota scientiae natura alienum, adolescentem hominem de rebus abditissimis judicare, decernere, affirmare, et, ut ejus aetatis est, tanto magis clamore et audacia, quanto minus ratione potest, susceptas partes propugnare? Non ego cum juventute tam dure agam, ut eam per multos annos Pythagorico more silere jubeam, nihilque respondere umquam, nihil interrogare; verum tamen si Philosophicâ eruditione contenta sit, nec sapientiam immature affectare videbitur, et in eo tamen valere, cujus praesidio perfectam absolutamque sapientiam comparare aliquando possit. Nam quod ipsa per se intempestive commentari velit et sine prudentia garrire, idcirco factum est, ut nobilissima disciplina, non hominum ingeniis parta, sed ut Plato existimavit, Deorum munere nobis concessa, incredibili invidia laboret, nihilque jam de rerum natura tam poeticum fingi posse videatur, quod non ab aliquo dicatur Philosophorum. Hinc modo cum horologiorum inconstantia, modo cum aegrotorum somniis, modo cum andabatarum pugnis a sapientissimis scriptoribus comparata: hinc senatus consulto a Romanis expulsa et ad suos Graeculos redire jussa: hinc

denique a Graecis ipsis simulandi ars saepe dicta, cujus fama et auctoritas non ipsa dignitate rei, sed singulari habitu et contemtu ceterorum sustineretur. Quemadmodum enim summi in re publica Magistratus, si vulgari coeperint et cuilibet aetati mandari, splendorem et auctoritatem amittunt; unde fit ut habitus ipse et antiqua potestatis insignia, ad mores degeneres accommodata, irrideantur; ita philosophica studia maximarum tractatione rerum paene divina, postquam in medio posita sunt et cuique sine delectu communicata, in contemtum abiere, palliumque ipsum pristinae majestatis insigne ad irrisionem traductum est. Ago igitur causam vestram, sapientissimi viri, cum dico, non esse adolescentibus dandum, ut ipsi per se, cum paullum aliquid in schola sederint, statim philosophentur. Cum enim praestare nequeant, quod conantur, tanto nomini injuriam faciunt, et numerum quidem augent, si Diis placet, Philosophorum, sed pretium imminuunt. Ago etiam vestram, adolescentes studiosissimi, quos cum videam in rerum difficillimarum tractatione magno cum labore fluctuare, ex illo velut Euripo in tranquillum pacatumque mare deduco, ubi et facilitas navigandi jucunditatem pariat, et opportunitas laudem, et modus utilitatem. Ago denique causam tuam, Princeps Eminentissime, qui, cum velis et identidem jubeas, juventutem hanc, ad morum et litterarum institutionem tibi concreditam, non garrulam in disserendo esse, non acerbam, non pugnacem, genus hoc nostrum adsciscere potes Philosophiae, quod nullam sententiae dictionem habet, sed solis narrationibus continetur. Dixi.

VIII

JO. AUG. ERNESTI
PROLUSIO
DE
PHILOSOPHIA POPULARI.

Cum duo sint genera res oratione tractandi, alterum subtile et acutum, alterum populare: illud disputationibus philosophorum ceterorumque, qui in aliquo genere doctrinae explicando versantur, proprium putatur, hoc oratoribus et, quicunque aliquam cum iis conjunctionem habent, scriptoribus. Sed est quaedam etiam, ut ita dicam, subtilis et erudita popularitas, non abhorrens illa a philosophorum ratione atque doctrina, si modo sint ii, qui non careant ingenii facilitate atque venustate, et satis sint exorcitati in arte bene dicendi. Haec est illa, ut opinor, quam nuperus scriptor Francicus, Diderotium esse fama non incerta tulit, in eleganti de interpretatione naturae libello philosophis commendat, et non modo generi humano, sed ipsorum etiam nomini ac famae plurimum profuturam verissime judicat. Etenim experientia omnis aevi docuit, eos, qui hoc ingenio, et ea facultate dicendi essent, ut possent, eo autem animo, ut vellent (nemo autem non vult, qui potest) ista popularitate in tradendis philosophiae praeceptis uti, et plures et meliores lectores reperisse, et diutius

memoria posteritatis et fama floruisse: cum ceteri elegantiores homines a legendo absterrerent, nec haberent lectores, nisi suos, h. e. paucos, et plerumque non invidendos, denique, quibus tenebris eorum libri involuti essent, iisdem et ipsorum nomina mox obruerentur! Atque id iis, ut merito, ita necessario accidere, nec meliorem sortem ullo modo contingere posse, res ipsa declarat. Etenim cum non multi sint, qui subtilitatis limatioris difficultatem exsorbere vel possint, vel sustineant, tum ingenio bono et vivido praediti, et gusto quodam elegantiae venustatisque imbuti, h. e. melior pars generis humani, insipidam tenuitatis siccitatem fastidiunt, atque, ut in cibis beatioris sortis homines, non contenti rerum salubritate, suavitatem aliquam a copia, a varietate, a condimentis desiderant. Quodsi philosophia loqui posset, haud dubie ipsa, se popularem esse cupere, profiteretur. Nam si est sapientiae, h. e. felicitatis consequendae, disciplina: quid tam populare, quam felicitas? Si scientia rerum divinarum et humanarum: quid tam debet esse promtum et expositum homini, operum divinorum ipsi pulcherrimo? Si naturam interpretatur: quis excludendus ab spectandis admirandisque ejus miraculis? Si de officiis, moribus, vitaque bene instituenda praecipit: quis homo ab humanis officiis cognoscendis adamandisque prohibendus?

Ac profecto, quam possum longissime regredi cogitando ad memoriam rerum ultimam, inde usque repetens, invenio, sapientissimos olim homines, nobilissimosque philosophiae auctores, istius, quam dicimus, popularitatis eruditae studiosissimos ac retinentissimos in disserendo, atque scribendo fuisse. Nam ut ab eo incipiam, qui primus philosophi nomen adsumsit, quis dubitet, Pythagoram popularis philosophiae auctorem citare, qui, cum Phliuntem venisset, primum cum principe civitatis, deinde ita docte copioseque

disseruit, ut ejus ingenium eloquentiamque admiraretur Leon: cujus denique oratio de philosophiae nomine fuit ejusmodi, ut nihil esse posset elegantius atque lepidius. Thaletem autem, qui aequalis fuit Pythagorae, Graecae Philosophiae, ut Pythagoras Italicae, auctor, cum multa alia, velut sermones cum Solone habiti, tum illud arguit hujus popularis philosophiae studiosum fuisse, quod a rei publicae administratione se ad philosophiam contulerat. Ac, ne dicam de Prodico sophista, cujus facetissimam de Hercule narrationem sub Socratis persona ita affert laudatque Xenophon, ut se neget assequi sententiarum verborumque magnificentiam posse, nec de Anaxagora et Archelao, e quorum disciplina ortus est Socrates: hoc ipso Socrate, quid in philosophando fuit popularius? qui de coelo deductam philosophiam in urbibus collocavit, et in curias, in forum, in domos etiam privatas introduxit: cujus sermones omnes traduntur fuisse ejusmodi, ut iis summorum hominum ingenia caperentur, quod essent perspicuitate collustrati, et omni Attica urbanitate conditi. Quid? Platonis libri non sunt ii, ut et intelligendi et dicendi magister optimus oratori optimo, Ciceroni, videatur. Quid? Xenophontis non melle dulciores sunt disputationes, refertae illae et sententiis venustissimis et verbis suavissimis? Aeschines autem Socraticus non in summa illa simplicitate ita naturali quadam pulchritudine et venustate nitet, ut intelligentibus nihil esse possit jucundius? Jam Academicos omnes Xenocratem, Polemonem, Arcesilam, Carneadem, Platonis exemplum secutos, disertissimos homines, copiosos et suaves in docendo scribendoque fuisse, consentiente antiquitatis testimonio traditur. Aristoteles, fuit ille quidem tetricae subtilitati et aptior et studiosior, quod, cum in sermone ac dialogo ad Socraticorum rationem scribere aggressus

esset, sibi non succedere nec ullo modo Platonicam aut Xenophontiam suavitatem se assequi posse viderat: sed habuit discipulum Theophrastum, hic autem Demetrium Phalereum, utrumque in disserendo praedulcem, quorum similes multi alii extitere; in his Critolaus, qui etiam Romanos homines caperet copia et suavitate disputationum suarum, et Dicaearchus, magnus et copiosus homo. Zeno, Stoicae familiae auctor, cum valde subtiliter dissereret, utque novi quid protulisse videretur, multis novis verbis et loquendi modis repleret philosophiam, recessit sane a populari illa veterum ratione: ceterum in eâdem secta fuere Panaetius, cujus copia et suavitas in disserendo fuit ea, ut Africanos, Laelios delectaret, et Posidonius, qui etiam in acerrimo artuum dolore graviter et copiose disputavit, ac multi praeter hos alii copiosi et elegantes in disserendo homines. Epicurei fuere illi quidem, imitatione Epicuri, qui non satis erat politus artibus liberalibus et alios a studiis deterrebat, ejus igitur imitatione ita parum elegantes fuere et suaves, ut Cicero hoc argumento persuadere Memmio tentet, Atticum non esse Epicureum, quod sit omni doctrina liberali politissimus: sed exortum est Lucretii ingenium, cujus carminibus ita popularis, h. e. ita perspicua, ita copiosa, ita venusta et ornata facta est Epicuri ratio, ut eâ nihil posset esse elegantius et conditius, speraretque, se illi ipsi Memmio, eleganti in primis homini et polito, placere posse. Quid dicam de Cicerone, qui philosophiam Latinis literis non modo illustravit, sed etiam ornavit maximeque popularem effecit: qui, non modo cum in sermone ac dialogo scribit, copiosus et praedulcis est, sed etiam cum de officiis praecipit filio. Possum etiam commemorare Graecos, qui carmine complexi sunt philosophiam, ut ad eam cognoscendam allicerent homines, a sicca et tristi subtilitate abhorrentes: sed nolo longior esse in re tot exemplis certa.

Illud lubeat quaerere, quae res philosophiae istam suam popularitatem ac paene dicam humanitatem ademerit, eamque penitus ad subtilitatis umbratilis siccitatem redegerit, atque ex amplissimo laetissimoque campo in eas angustias, et, ut cum Cicerone loquar, in dumeta compulerit, ut necesse sit jam clamare: *studeamus philosophiam popularem efficere.* Atque ego non abnuam, in causis etiam ponendam esse cum Diderotio quandam obscuritatis et subtilitatis nimiae affectationem, cujus magnum Newtonum reum agit, itemque multorum opinionem ambitiosam, qui philosophiae multas partes supra captum hominum plerorumque existiment, quos ille nihil aliud quam indicare judicat, se, quae sit via et ratio bene disputandi, quae exercitationis vis, ignorare. Sed ego longius rem repetendam arbitror. Maximam igitur velut fundi philosophici in eo genere calamitatem ortam esse hinc puto. Antiquissimis temporibus philosophia fuit penes eos, qui in re publica pace belloque gerendâ versarentur, liberali doctrina essent exculti, viverentque cum hominibus magnis et elegantibus, in civitatibus denique iis, in quibus et nativa quaedam et exquisito studio culta regnaret urbanitas atque humanitas, aut in aulis regum, in quibus solertissimae elegantiae magistrae scholas aperuere adulatio et abundantia, qui denique non parvam mercedulam, sed ingenii laudem docendo peterent: cujusmodi omnes fuisse scimus eos, quos supra commemoravimus, popularis philosophiae auctores et magistros. Discipuli porro eorum quales erant? Maturâ aetate viri, multi et ipsi jam in re publica versantes: tum juvenes nobiles, et ad omnem humanitatem vel ingenio, vel educatione domestica, vel artium magistris eruditi et culti; qui inter deambulandum in foro, in porticibus gymnasiorum, in villis, maxime in conviviis, de magnis et gravibus philosophiae

capitibus magistros suos disserentes audirent. Neque audiendi philosophi discendaeque philosophiae studium angustis coërcebatur temporis finibus, sed per multos annos, saepe ad senectutem durabat, ut etiam, cum ad rem publicam accessissent, tamen, quoties otium aut facultas esset, claros philosophos disserentes audirent, domi etiam suae, et in convictu haberent, denique vel legerent nobiles de philosophia libros, vel ipsi de magnis quaestionibus aliquid scriberent. Non attinct haec testimoniis veterum confirmare. Unum Ciceronem omnium eorum idoneum auctorem habemus. Enimvero, hanc rationem prorsus commutatam esse, quis nescit? Tota in scholarum tenebras relegata dudum est philosophia: eam docere vel discere indignum coeptum est haberi magno et illustri homine, relictumque docendi quidem munus totum hominibus tenuibus et umbraticis, discendi autem necessitas imposita solis juvenibus, quibus ad majores disciplinas per philosophiae elementa, uno aut duobus ad summum annis e cujuscunque magistri dictatis macilentis percipienda, eundum putaretur. In utroque autem genere quam parum saepe ingenii, cultus, doctrinaeque elegantioris ac liberalioris, praesertim eâ, quae scholasticorum dicitur, aetate fuerit, nemo ignorat. In horum igitur consuetudine, in his tenebris, mirum est, si dedidicit philosophia ac perdidit veterem elegantiam copiamque? si populum fugit nec lucem ferre potest? si denique elegantiores homines eam aspernantur, et, tanquam etiam contactu contaminet, fugiunt?

Quae cum intelligerent eleganti ingenio praediti, et doctrina liberali politi homines, tum eo tempore, quo primum scholasticorum philosophorum depulsa est barbaries, tum hac nostra aetate, quae illam restituere in philosophiam, tanquam in veteres sedes suas, conari putatur, hoc coeperunt agere, ut eam a

sordibus purgatam, beneque vestitam e tenebris in lucem conspectumque hominum producerent, si posset, ut quondam, nunc quoque amatores reperire, a quibus amari se gauderet. Hoc certe, ut nihil de superioribus illis dicam, spectarunt quicunque nuper vel puriori et concinniori oratione latinâ complecti elementa philosophiae conati sunt, in quo genere nostra quoque opera eloboravit, vel, id quod majus et ad popularem reddendam philosophiam efficacius est, latinis vel suis cujusque vernaculis literis (nihil enim interest) partes quasdam ejus ita illustrarunt, ut lectores aliqua suavitate ab acute faceteque dictis, a copia et venustate verborum allicerent, eâdemque via ipsas res accommodatiores cujusque, etiam non subtiliter in eo genere eruditi, ingenio redderent: in quo numero maxime hi censeri e Francis, Britannis, Italisque, voluere, qui, exemplo Graecorum et Latinorum veterum, in dialogo scripserunt, quod est aptissimum ei consilio genus scribendi: adeo magnam dat facultatem amoenitatis ingenii expromendae. Sed, ut mittam eos, qui parum ab ingenio doctrinaque parati ad id scribendi genus se contulerunt, nec ullas illecebras legendi adspergere potuerunt, in hoc genere incommodum illud est, quod paucis datum est cavere affectationem acute dicendi, quae frigus affert: tantum abest, ut delectet eos, quibus vel maxime auctores cupiunt probari: quod vitium licet subinde et in iis animadvertere, qui, aliis generibus scribendi usi, idem quod illi spectarunt. Quare qui hoc genus popularis philosophiae scribendo persequi volet, quod et munditie orationis placeat, et claritate rerum luceat, copia denique et venustate quadam ac lepore in verbis et sententiis delectet, etiam atque etiam videat, quid humeri valeant, quid recusent ferre. Non enim parvo ingenio opus est. In quo est difficile judicium; cum quisque tanto se facilius ingeniosum credat,

credat, quanto suavior ingenii laus esse solet. Deinde, ut verum istius rationis sensum et quasi speciem animo capiat, dedat se ad legendos eos maxime, qui haud dubie principes numerantur, Platonem, Xenophontem et Ciceronem, consuescatque, non modo perspicue copioseque disserendi artem cognoscere, sed etiam gustare Atticam Romanamque integritatem, venustatem, adde etiam novitatem modestam in sententiis, elegantiam in versibus Poëtarum loco ponendis, suavitatem denique in tropis, ut inde vel sumere vel gignere possit similia. Etenim hoc datum felicitate quadam naturae fuit Atticis, ut, quid in quaque re maxime deceret, acutissime viderent, haberentque acerrimum atque emendatissimum omnium rerum pulchrarum judicium. Neque tamen spernet ceteros, vel veteres, vel recentiores, qui in hoc genere aliquid esse putantur, sed ex his quoque optima quaeque libabit. In scribendo autem nihil magis vitabit, quam sententiolarum acutarum, allusionum venustarum, nitidorumque troporum captationem: quod vitium difficile est effugere. Sic conformatus lectione, judicio, usuque accedet, ut, quidquid suavitatis adspergat, id non ab ipso quaesitum, sed a rebus oblatum, non consilio positum, sed temere excidisse videatur. Ita non *spectris Diderotianis* terrebit lectores, nec *Soli supplementa scribet.* Videbit porro, quid materia quaeque ferat: quae tractata possint nitescere, et in quibus contra nihil insit, quod capiat aliquem ingenii orationisque cultum, ut haec relinquat nec purpuram vili panno adsuere conetur. Sed multo magis moderatum se praestabit in argumento divite et ad ornandum uberiori, ne ejus veluti visco correptus haereat: quod cavere tanto difficilius est, quanto majores peccandi illecebrae propositae sunt, quas nec limatissimi ingenii homines semper effugere potuerunt. Non, in unius subtilis hypotheseos fallaci

amore exprimendo, *Sirenas et Nymphae pulcherrimae hortos*, ac forte etiam *Laïda* advocabit (quibus quid simile est, cum opinionis talis tenuitate ac prope jejunitate ?) nec, occurrentibus pluribus exquisitis metaphoris, omnes profundet, sed boni dispensatoris diligentiam adhibebit, ut alias ponat, alias ad futuros usus reservet.

Atque haec nobis super populari philosophia hoc tempore disputata sunto: quae nobis in mentem venere, cum rogandi essent Patroni atque Fautores bonarum litterarum et juventutis studiosae, ut frequentes convenire ad audiendas oratiunculas velint, quarum argumentum est Philosophia varie vel accusata vel defensa, sumtum illud ex Platonis Apologia Aristophanisque Nubibus, quas per hunc annum interpretati sumus.

IX

JO. AUG. ERNESTI

PROLUSIO

DE

ARTIS BENE COGITANDI ET BENE DICENDI CONJUNCTIONE

INAUGURATIONI MAGISTRORUM PHILOSOPHIÆ PRÆMISSA.

Rusticum, ajunt, cum in foro venalem haberet corvum, vidissetque avem parvam, e genere cantricium, magna pecunia vendi, suae haud paullo majus pretium dixisse: ibi cum miratus esset aliquis, quod avi, bene canere haud quaquam doctae, tantum pretium statueret, rusticum contemtim respondisse: tanto melius cogitat. Nulla muliercula tam nihil intelligit, nemo puer tam rudis est ac stultus, quin stuporem rustici sentiat atque videat. Sed ille rusticus tam stupidus nullus uspiam fuit: sed ad irridendam eorum inscitiam excogitatus est ac fictus, qui, cum sint infantes ac barbari in dicendo ac scribendo, tamen non modo recte ac bene cogitandi scientiam et laudem sibi vindicare, et hoc nomine imperitis hominibus se venditare, sed etiam bene dicendi ac scribendi artes, ut inanem verborum curam et scientiam, contemnere audent. Hoc genus hominum

illo maxime tempore fuit, cum, barbaris undique illatis, extinctus esset sensus veri, pulchri, atque honesti, hominesque, quod rectum et perfectum est in artibus, nec possent videre nec videre curarent, sed inficeti ingenii sui argutis ineptiis quisque ita delectaretur, ut eas pro vera et una sapientia probaret ac commendaret. Videbant stultissimi mortalium, se scripta, quae ante se probata et in honore fuissent, nec intelligendo consequi nec imitando posse, ut quae nimis ab ingenio suo abhorrerent haberentque nihil simile sui. Itaque suum ingenium, quod stultissimo cuique maxime placet, secuti, ex se peperere insanientem illam sapientiam, quam ipsi totam rerum putabant, cum nihil propemodum, nisi barbariem et obscuritatem ineptissimorum verborum, haberet. Ea cum ad risum et jocum traducta esset per eos, qui Graecas Latinasque litteras e tenebris in lucem protraxissent, restituta est vetus illa sapientia, quae intelligendi solertiam cum bene loquendi elegantia ita conjungeret, ut alteram sine altera nemini contingere putaret. Sed cum ea esset difficilior, et non modo plus ingenii, sed etiam, incredibile est, quanto plus laboris atque exercitationis postularet, non ita multo post, ut est proclive ingenium humanum a labore ad ignaviam, longe maxima pars eorum, qui se ad doctrinae studia contulissent, ab hac vera et perfecta et diserta sapientia, ad inanem illam et horridam et barbaram defecit: in qua, si quid inest boni, tamen ita obscuratur orationis inscitia, ut, quo quisque magis verba recte intelligere didicerit, ita minus intelligat, ita minus, quale sit, quod dicatur, videat. Id planum facere brevi disputatiuncula instituimus, ut, quemadmodum nuper disciplinam bene dicendi recte institutam plurimum prodesse ostendimus ad animos sensu honesti et amore sapientiae virtutisque imbuendos, ita, eandem ad subtiliter

ac bene cogitandum maximam vim habere, doceamus, denique, an, qui non bene scribat in eo, quo utitur, genere sermonis, tamen bene cogitet, dubium videri, certe vix intelligi posse.

Ac primum magno argumento esse debet hoc, quod non modo tum, apud populum quemque, philosophia maxime perfecta fuit, cum artes dicendi maxime celebrarentur, eaeque et a quam plurimis et quam felicissime tractarentur, sed quod etiam semper cum artibus dicendi philosophia vera et probanda vel nata, vel mortua est: quod accidere quomodo potuisset, nisi hanc haberent copulationem, ut segregari nullo modo possent? Antiquissimum bene scribendi genus apud Graecos haud dubie est poëtarum: nec quicquam Homero atque Hesiodo antiquius aut par habuere Graeci in ullo genere scribendi, quod placeret, quod probaretur, atque ad posteritatem propagandum videretur. Quis autem hoc vel nescit, vel negare audet, a poëtis initium philosophandi, certe de philosophia scribendi, factum esse? et, qui primi de rerum divinarum humanarumque natura subtilius scripserint, et poëtas fuisse et versibus in scribendo usos esse, poëtisque etiam hanc ob causam tributum esse, ut proprie et κατ᾽ ἐξοχὴν sapientes et docti dicerentur; ut qui soli rerum omnium naturas, partes, formas accuratissime et ingenio perspicere, et verbis aptis exprimere, exercitatione assidua didicissent. Exorti sunt posthaec inter Graecos, qui ἀκρίβειαν scribendi ad orationem vulgarem, hoc est, certis numeris non adstrictam, transferrent, ii, qui Sophistae primum sunt, honestissimo tum et pleno laudis verbo, appellati, extititque magna illa ars, quae apte de quaque re dicere ac scribere doceret et λόγους τεχνικῶς ἔχοντας conficere, ut Isocrates loquitur. Quid igitur accidit? An nihil hoc philosophiae profuit? Immo vero ab hoc tempore primum philosophia, quae

apud poëtas veluti in cunis jacuerat, adolescere coepit: tum statim hanc formam, hoc robur accepit, ut ejus verbi honore esset digna, ut disciplinae nomen capere ac tueri posset. Nam Socrates quidem, a quo omnem veram philosophiam ortam consentiunt, proximus illi aetati fuit, ut qui etiam clarissimos Sophistas cognoverat, neque eorum artem aliam ob causam reprehendebat, quam quod eâ subinde ad quaestum et vanitatem abuterentur. Nihil dicimus de Platone, cujus non magis sapientiam, quam scribendi elegantiam atque etiam copiam veteres admirantur: perfectus tandem philosophus, etiam ad nostrorum hominum opinionem, fuit Aristoteles, qui philosophiam e dialogorum ambagibus ad certam scholae legem retraxit et ad disciplinae subtilitatem ac formam redegit. Sed ille a Rhetorum scholis ad philosophiam venerat, Rhetor ipse omnium praestantissimus: nunquam, ut opinor, consecuturus id, quod diximus, nisi artibus dicendi bene instructus accessisset. Sed haec tam bene constituta philosophia, quicquid mox labis et vitii contraxit, id omne, veteres fatentur, habuisse ab inscitia verborum et artium dicendi. Hinc novorum illi nec bonorum verborum in philosophia mali opifices, ut Cicero appellat, Stoici et Epicurei, qui res notas et vulgatas novis, obscuris, ambiguis, et parum aptis verbis traderent, negantes verborum esse philosophiam; qui imperitiâ dicendi res claras implicarent, et inutilibus controversiis omnia refercirent: unde etiam errores graves, et ad religionem moresque perniciosi, orti sunt. Jam, ut ad Romanos veniamus, non profecto aut ante philosophia bene tractata est Romae, quam artes dicendi Graecorum more discerentur, aut ab aliis, quam, qui artes bene dicendi et accurate didicissent, et diu feliciterque exercuissent: ceteris, qui sine istis artibus et sine ea facultate ad philosophiam

explicandam se contulissent, irrisis et contemtis; ut qui nihil dilucide, nihil distincte, nihil accurate nervoseque explicare, ac ne satis quidem percipere potuissent. Neque vero, id quod satis constat, tolerabilis inter Latinos vel philosophus fuit, vel de philosophia liber extitit, postquam artium dicendi contemtus invaluerat, et barbaries orationis omnia contaminare coeperat. Tum scholastica illa philosophia exorta est, a qua majores nostri cum liberati essent, vehementer sunt gavisi. Sed hoc beneficium profecto debebant iis, qui artes dicendi revocarant et ab iis, qui eleganter, Graece aut Latine, de philosophia scripserant, recte intelligendi et recte intellecta bene dicendi scientiam, sapere et scribere, didicerant. Quod si in eo mansissent postea philosophi, et cum veteres illos, tum recentiores probatos et elegantes philosophos imitati essent: quam bene cum philosophia actum fuisset? quam multis λογομαχίαις caruisset? quanto splendidior mansisset? quanto etiam auctior facta fuisset rebus bonis et utilibus potius, quam sordibus verborum, quae quisque ad libidinem suam vel finxit, vel in aliam significationem detorsit? Sed queri nunc non est animus: docere studiosos, quae recte et vera sunt, cupimus. Itaque, cum hoc docere susceperimus, artibus dicendi, praeceptis et lectione cognoscendis, et multo magis exercendis, aditum fieri ad bene cogitandum, et bene cogitata recte explicanda, idque usu et experientia omnium aetatum firmari docuerimus, restat, ut rem ipsam confideremus, et ex ea argumenta ducamus.

Jam primum satis constat, neque alium patere aditum notionibus in animos nostros, neque exitum e mente dari, nisi per verba. Neque enim eae omnino sine verbis esse ullae, aut saltem stabiles certaeque manere possunt, ut bene docet Lockius cum aliis philosophis: quippe cum eas animus rebus, vel

sensibilibus, vel intelligibilibus, velut detraxit, devincire ac defigere, ne errent ac cum ceteris confundantur, nisi per verborum vincula, ac, paene dicam, clavos, non potest. Unde fit, ut quemadmodum sine notionibus generum ac formarum, sic sine verbis in homine quidem nulla vera intelligentia, nulla ratio esse possit: videmusque in infantibus, ut magis verba intelligere usu et loqui discant, ita magis intelligentiae et rationis vim excitari et augeri. Non itaque recte dicemus, ita quemque accuratius intelligere ipsum, et intelligentiam alienam acuere posse, ut accuratius et rectius verba vel intelligat, vel usurpet? Veteres quidem videmus omnem et intelligendi et explicandi rationem appellasse Dialecticam, h. e. disserendi et subtiliter dicendi artem, sive, ut Cicero ait, contractam et adstrictam eloquentiam: quos qui deseruere, eam disciplinam, ut aliquid novi ac melius proponere discentibus viderentur, artem cogitandi, vel investigandae veritatis, vel Logicam appellarunt, merito castigat Facciolatus, Orat. XII. Sed verborum intelligentia vera et accurata unde peti potest, nisi a scriptoribus in quaque lingua iis, qui eam optime caluerunt, et exercitatione diligente et assidua consecuti fuerunt, ut ea optime uti possent. Neque enim existimari debet, qui recte linguam intelligat, eundem statim ea recte in dicendo ac scribendo uti posse: nisi vero, qui Ciceronem bene intelligit, idem statim Ciceronis modo scribere ac dicere potest. Immo vero longa est et difficilis ab intelligendo ad agendum in omni arte via, quam sola exercitatio et munit, et emetitur. Itaque necesse est, fateamur, qui in Latina v. c. lingua ab idoneo magistro discat intelligere scriptores meliores, qui bene cogitata eleganter, accurate, distincteque expressêre verbis, eum hac ipsa via ad bene intelligendum atque cogitandum abduci. Nam et nostri Philosophi, cum suos

libellos et compendia explicant tironibus, an aliud faciunt, quam ut sua intelligere doceant? Quod si istis intelligendis ad subtilitatem cogitandi posse adduci homines putantur, quidni etiam et multo magis illis antiquis, qui accuratius multo et distinctius sunt locuti? Atque haec ratio tanto est praestantior judicanda, quod ea simul adducit ad bene de talibus rebus dicendi et scribendi facultatem, praesertim si exercitatio scribendi e praeceptis artis instituta et a bono magistro adjuta et gubernata accesserit.

Plurimum, ac paene dixerim omnia, in bene dicendo ac scribendo valet delectus verborum, tantopere ille a Cicerone, et intelligendi et dicendi magistro optimo, praedicatus et commendatus. Is autem profecto latius patet, quam vulgo existimant. Neque enim ille modo delectus est, si in omnibus rebus verbum et teneas et ponas, quo illud ipsum, quod cogites, quod dicere velis ac debeas, plane exprimatur, non plus aut minus, ne vel incertus haereat lector, vel omnia alia intelligat: sed etiam, si rem quamque ab ea parte per verba apta ostendas, quae ad bene et accurate intelligendum maxime pertinet: quo nihil valet ad recte intelligendum et judicandum magis. Enimvero, ut primum illud totum consequimur scriptoribus cujusque linguae optimis accurate cognoscendis: unde enim, nisi ab his, verborum pottestates et discrimina discas? sic alterum primum videre, deinde imitari docet curiosa veterum in primis lectio, qui in hac parte sunt felicissimi. Nos hoc v. c. in praeceptis rhetoricis, ad elegantiam et venustatem pertinentibus, posuimus, ut, suis locis, adjectiva in substantiva converterentur, ex uno substantivo fierent duo, itemque pronomini vel adjungeretur vel substitueretur substantivum. In his nihil inane est, aut ad numerum strepitumque verborum modo augendum comparatum, sed omnia

sunt ex ipsa ratione atque arte bene intelligendi ducta, et ad juvandam lectorum auditorumque intelligentiam comparata, ut, quid in quaque re spectandum sit, quae sint causae rerum, et quare quidque vel sit, vel fiat, vel fieri debeat, vel probetur, vel improbetur, statim appareat, h. e. ad eam delectus partem, de qua dicere coepimus. Neque enim quicquam in praeceptis rhetoricis potest probari, quod non sit ex illo fonte haustum; quod non aliquam ad bene intelligendum aut ad permovendos animos vim habeat, quarum rerum causa ipsa dicendi ratio est inventa. Sed non solum hactenus ea ratio legentibus audientibusque prodest ad intelligendum, quod iis non relinquitur, videre per se ac quaerere, quid sit in rebus personisque, propter quod iis quidque vel tribuatur vel negetur, cujus quaerendi tempus praesertim in audiendi celeritate vix datur, sed id ipsum verbo ostenditur; verum quod etiam brevitati servit, ad perspicuitatem et intelligendi facultatem aptissimae. Quippe unius verbi angustiis concluditur tota ratio, propter quam quodque dicitur, sine ulla obscuritate: unde celeritas intelligendi et judicandi venit, quae in vera et legitima brevitate, vel sola, vel maxime spectatur: neque alia mihi videtur esse causa, quare tantum suavitatis in ea ratione inesse putetur. Veluti, cum Cicero dixit, non, *vitandas esse sapienti opiniones*, sed *opinionum levitatem atque imbecillitatem*, non *plebem concitatam lege magis incitare*, sed *plebis concitatae temeritatem legis auctoritate armare*: non singulorum verborum adjunctionibus causas et rationes omnium summa cum perspicuitate suggessit, quae alius multis verbis, et aliquoties repetito *quia*, ad nauseam ingeniosi et elegantis lectoris, dixisset? Enimvero cum his et talibus pleni sint veteres Graeci atque Latini scriptores, habeantque alia similia bona, nondum aut omnia, aut satis largiter, aut a multis, in vernaculas

linguas derivata; nullo modo dubitari potest, quin eorum lectio, recte et cum judicio instituta, vel exercitatio eorum legendorum, a bono et intelligente istorum bonorum magistro gubernata, ad bene intelligendum et acute videndum valeat plurimum, sitque litterarum Latinarum et Graecarum discendarum docendarumque accurata disciplina, eadem disciplina certissima et facillima bene intelligendi et cogitandi. Etenim si in omni genere rerum atque artium prope omnia sunt in usus diuturnitate atque exercitationis assiduitate et constantia: si Geometria habet vim ad acuenda hominum ingenia in veritate investiganda aut judicanda, et ad percipiendi celeritatem, non tam cum percepta est, quam cum percipitur; propterea quod illâ ipsâ accurate et subtiliter intelligendi et cogitandi assuetudine in ordinem redigit ingenii vagos et incertos motus, ac paene manu ducit ac trahit mentem in vestigia veritatis: quomodo non illa, quam descripsimus, in Latinis et Graecis scriptoribus legendis exercitatio, et artium dicendi cognoscendarum exercendarumque diligentia, ingenia hominum acuat, et recte ac bene intelligendi cogitandique solertiam et celeritatem largiatur?

Et nihil diximus de arte dicendi ipsa, quoad praeceptis continetur: quae si a disserendi arte, hoc est, Dialectica, non aliter differt, quam manus expansa a contracta, ut Zeno, Stoicus philosophus, dictitabat, estque Dialectica dilatata: profecto dubitari non potest, quin ea ad bene intelligendum et eleganter acuteque cogitandum valeat plurimum. Illud quidem haud dubitanter affirmaverim, a Rhetoribus antiquis in probabilitatis disciplina longe superari Dialecticos ipsos, praesertim in eo capite, quo, factumne sit aliquid futurumve, nec ne, quae est permagna et necessaria probabilitatis pars, quaeritur: cujus capitis elaborationem hac de causa etiam reliquisse

Rhetoribus videntur Dialectici, contenti, leviter id tetigisse, quod ejus usus dominaretur in eloquentia curiae atque fori, in philosophia prope nullus esset. Itaque artes dicendi veterum et praeceptis et usu legendorum oratorum cognitae atque tritae valde juvent, necesse est, probabilitatis judicium: in primis cum oratores fuerint fere magni homines, in re publica pace et bello gerendâ versati, in foroque et causis forensibus triti, i. e. quos in probabilitate tali tractanda facilius et rectius versari potuisse, quam scholasticos Dialecticos sine usu et experientia, vix putem esse, qui dubitare audeat.

Sed, quoniam supra, hanc intelligentiae acuendae rationem etiam hoc opportunitatis habere, diximus, ut per eam, quae quis recte ac bene sentit, accurate politeque eloqui discat, maxime si Latine scribere lubeat: quanta incommoda nascantur, si quis expers sit illius disciplinae artiumque dicendi, paucis dicamus. Primum, haud facile cuiquam erit, iis, qui Latine sciant, et quicunque non sunt ipsius sermoni adsueti, persuadere, res bene se habere: cum nemo possit credere sibi bene accurateque cogitandi solertiam assumenti, nisi oratione doceat, ita esse. Qui bene scribit, ei sponte tribuunt omnes cogitandi elegantiam, quod recte scribendi sapere est et principium et fons: at male scribendi quomodo quis eam tribuat, cum nemini credamus ullam aliam inesse virtutem, nisi eam actionibus idoneis, perspicuam ejus significationem habentibus, prodat. Immo quis legere male scriptos de philosophia libros sustinebit? Auctores eorum ipsi legent cum suis discipulis: alius nemo volet attingere, nisi qui eandem male scribendi licentiam sibi permittit, ac permitti vult. Etenim ne intelligere quidem satis poterit, qui non est ex ipsorum disciplina: et ut quisque magis litteras Latinas didicerit, ita minus intelliget. Bernardus is, qui de

novis libris Commentarios Francice scripsit, commemorans aliquo loco de philosophi cujusdam Lipsiensis opere, necesse esse, ait, ut ille aut plane diversam ab aliis hominibus mentem habeat, qui talia scripserit, aut verborum potestatibus mutandis intelligendi facultatem omnibus adimere voluerit, qui se non magistro philosophiae usi essent: adeo abhorrentia eo in libro tradi videri: sibi autem non ita vacare (nec esse tanti), ut Lipsiam ire et audire philosophum possit. Mihi quidem saepe hoc accidit in legendis talibus scriptis, ut, quae perabsurde dicta viderentur, tum demum tolerabilia esse viderem, ubi, quae verba vernaculae linguae in animo habuerint auctores, conjectura invenissem; quod ipsum mihi subinde difficile fuit reperire. Id si mihi accidit, quid eventurum putamus exteris hominibus et linguae nostrae expertibus? quam parum eos intelligere, atque adeo curare scripta nostra? quam etiam absurda judicare? In disputationibus etiam publicis saepe audivi, controversias tandem huc redigi, ut recte quidem sensisse alterum appareret, sed vitiosam orationis parum accuratae formam locum dubitationi et controversiae fecisse: ut prorsus appareret, nihil nisi inscitiam scribendi reprehendi, cum de rebus agi videretur. Nec dixi de tota orationis forma, quae nisi est ad vetustatis exempla composita, non modo nihil gratiae habet, sed etiam languida est, et ipsa verbositate inepta et inutili obscura, et lectori intelligenti molesta. Ego quidem saepe mihimet ipse vim adhibere coactus sum in legendo, cum incidi in scripta hujus novitiae Latinitatis, et propter inscitiam bene scribendi per totas paginas tracta vidi, quae una trium aut quatuor versiculorum periodo comprehendi, conservata perspicuitate, poterant. Neque enim bonitas et elegantia orationis verbis singulis magis, quam toto habitu spectatur.

Quo sapientius majores nostri, in primisque illi immortaliter de Academia nostra promeriti Principes, Georgius Dux, et Mauritius elector, constituerunt, ut nulla alia disciplinae publicae pars magis in ordine nostro exerceretur, quam quae ad litteras Latinas artesque dicendi pertineret: quippe etiam in iis, qui honores ordinis nostri peterent, harum scientiam omnium diligentissime explorari voluerunt: non, quod verba rebus praeferrent, sed, quod superiorum temporum tristis experientia docuerat, id quod Valla in Dialecticis demonstrat, rerum omnium bonarum inscitiam, et in gravissimis rebus errores et controversias ab ignorantia verborum in omni prope doctrinae parte venisse, existimabantque, nihil sine istis litteris et artibus vel probabile vel praeclarum in doctrina ulla effici posse. Itaque vehementer laetamur, cum hoc tempore honores nostros tribuere possumus iis, quorum plerique ita nobis vel antea cogniti fuerunt, vel edendis legitimis speciminibus tales se praebuerunt, ut in iis egregiam cum ceterarum doctrinarum, tum litterarum humaniorum scientiam esse, constaret.

Eos die Jovis proximo, qui dies incidit in sextum Kalendas Martias, ab hora X. creare atque inaugurare ex ordinis nostri decreto constituimus. Huic ceremoniae ut celebritatem atque splendorem praestare sua praesentia velint Rector Academiae Magnificus, Illustrissimi Comites, utriusque civitatis Proceres, Cives denique omnes nostri, generosissimi humanissimique Commilitones, ita rogamus, ut in eo non modo candidatos nostros beneficium, sed etiam Ordinem nostrum, honorem sibi habitum, existimaturum spondeamus.

X

JO. AUG. ERNESTI

O R A T I O

DE

E L O Q U E N T I A.

Dicta Lipsiae Anno MDCCLVI.

Pectus est, quod disertos facit.

Si ab omnibus iis, qui in hunc locum dicendi causa procedunt, oratio exspectatur ea, quae et rerum gravitate prosit, et verborum suavitate delectet, propterea quod nihil tam alienum videtur, quam ad audiendum convocari homines ab his, qui nihil, quod auditu dignum sit, afferre in medium possint: ab eo profecto non modo exspectatur, sed etiam jure postulatur talis oratio, qui se artem bene dicendi ex hoc ipso loco traditurum profiteatur. Etenim, qui hanc eloquentiae docendae provinciam aut a se expetitam suscepit, aut ad se delatam recepit, is, si dicendo neque professioni suae respondere possit, neque aliorum de se judicium adaequare, quomodo non, aut arrogans in petendo, aut impudens in accipiendo, videatur. Quae res quantopere me, apud vos dicere incipientem, conturbet animo atque debilitet, magis equidem sentio, quam quisquam existimare, aut ipse verbis demonstrare queam. Accedit quaedam vestra

de me, et mea in hoc genere facultate, spes atque opinio, quae multis per hoc tempus significationibus perspicue declarata est, magis illa ab vestro quodam in me, atque in humaniores litteras, favore, quam ab re et veritate orta: quam, nullo modo video, quomodo aut ingenii mei tenuitas sustinere, aut dicendi insolentia exaequare possit. In his aliisque molestis cogitationibus una haec occurrit consolatio, quod, si minus dicendo praestiterim, quam aut suscepti muneris ratio postulare putetur, aut vestra opinio mihi tribuerit, non tam ego aequis judicibus videri debeo exspectationem de me vestram fefellisse, quam vos de me, et facultate mea, nimis benigne judicasse, omninoque bene ornateque dicendi facultatem majus quid, quam quod in hoc ingenium atque in hanc vitae meae consuetudinem cadere posset, existimare debuisse.

Est nimirum majus quid ac difficilius eloquentia, quam quis existimet, qui non ipse ejus comparandae periculum ita fecit, ut sibi per summorum in eo genere hominum, Isocratis, Demosthenis, Ciceronisque, vestigia ad eam laudem contendendum putaret; ac nescio an majus ac difficilius ipsâ sapientiâ, rerum humanarum pulcherrimâ atque utilissimâ. Nam dicendi ars illam ipsam sapientiam assumit; sine qua vana loquacitas, et inanis garrulitas, et quidvis potius, quam eloquentia sit: et habet praeterea multa propria, quae sapientia sibi neque audeat arrogare, nec cupiat vindicare: in his quaedam aut non in potestate cujusque posita, aut incredibili vel observandi diligentia vel exercendi labore quaerenda. Ceterarum quidem magnarum artium ac doctrinarum facultas maxime tenetur, vel ingenii celeritate, vel cognoscendi cogitandique diligentia, vel judicandi quadam prudentia, vel denique exercitationis assiduitate: eloquentiae autem his rebus ita omnibus pariter opus

habet, ut, si una absit, aut non sit permagna, consistere ipsa aut tota et perfecta contingere nullo modo possit. Ego autem me fateor a pueritia hujus tantae tamque gloriosae facultatis admiratione captum et cupiditate incensum atque inflammatum fuisse. Sed dum in praesidiis ejus adjumentisque comparandis, in sapientiae studiis, in praeceptis artis, et in exemplis, ad quae imitationis curam dirigerem, accurate cognoscendis laboro, ita me his ipsis in rebus implicatum sensi, ut progredi, quo volueram, non possem: acciditque mihi, quod peregrinatoribus iis, qui viae vel longinquitate defessi, vel amoenitate retenti, ad finem itineris suscepti atque instituti non perveniunt, sed illis ipsis viae amoenitatibus atque deliciis contenti subsistunt. Atque etiam ipsis bene dicendi veris praeceptis cognoscendis, ac multo magis exemplis magnis intuendis et penitus animo hauriendis, intellexi, gravius et altius esse id, quod spectassem, quam quod consequi meum ingenium posset, in eoque expetendo exercitationis tantam assiduitatem, et constantiam, et molestiam esse subeundam, quantam nec natura mea, nec consuetudo vitae ejus, ad quam me illa ipsa eloquentiae studia deduxissent, posset perferre. Itaque nihil aliud mihi consequi licuit, quam eorum, quibus vera eloquentia pararetur, scientiam, et quoddam de iis rebus judicium, quibus bene dicendi laus teneretur, nec quicquam de me, in hoc quidem genere, possum profiteri, aut polliceri, quam, ut me ducem non ignarum verae viae et comitem itineris non inutilem offeram eloquentiae studiosis: quod si mihi assumo, quoniam in eo tot annos elaboravi atque me exercui, adeo non vereor, ut arrogans cuiquam videar, ut etiam, si aliter facerem, male modesti et vani dissimulatoris notam mihi subeundam putarem. Quae cum ita sint, A. A. nolite jam exspectare orationem eam, quae Oratoris nomen ac

laudem tueatur, sed quae illam ipsam viam, cujus me ducem comitemque profiteor, clare demonstret, et ad eam ingrediendam vos, Commilitones humanissimi, et strenue persequendam, amanter cohortetur: hoc est, disputatiunculam potius, vestris studiis aptam, et ab novi muneris ratione non alienam, quam disertam et ornatam orationem: quae, si vere velimus judicare, in rebus, ad alicujus disciplinae scientiam pertinentibus, ne locum quidem potest habere.

Ego autem, A. A., quo diutius ac diligentius et praecepta bene dicendi, a maximis viris tradita, eorumque causas, vim, usumque in dicendo, et vero multo magis optima quaeque, vetustatis in primis Graecae et Latinae, exempla consideravi, hoc magis intellexi, verissimum esse Quintiliani judicium, qui veram eloquentiam ab animi sanctitate et magnitudine derivari, et *pectus esse, quod disertos faceret*, pronuntiavit: idque qui penitus imbiberit animo, eoque vel docendi prudentiam vel discendi curam direxerit, eum plurimum ad bene docendum discendumve profecisse decrevi. Qui iter ingrediuntur, praesertim longum, et nondum usu notum, etsi multarum rerum opus habent notitia et copia, ne in itinere faciendo aut retardentur, aut aberrent recta viarum regione: tamen ea frustra contigerint omnia, sine recta valetudine et sine quodam corporis robore et alacritate, quibus etiam ceterarum rerum vel inopia vel difficultas vinci ac superari potest. Hoc autem eloquentiae studium plurimorum sane scientiam accuratam usumque desiderat, in quibus vel explicandis versatur, aut quibus ordo rerum et modus tractandi cernitur, aut denique quibus elocutionis puritas, elegantia, et ornatus continetur: quae nisi plurimum ad bene dicendum valere fatear, nihil utique viderim. Sed qui in his putet esse omnia, eaque ubi compareant, ibi statim eloquentiam agnoscat, is vero se, eloquentiae

vim nullo modo assecutum esse, ostenderit. Immo in istis rebus inest modo quaedam bona, eaque bene structa materia, et velut hominis bene vestitum corpus, sed quod nullo mentis vigore animetur ac moveatur. Huic autem si vita et spiritus accesserit, qui per totum illud e bona materia bene structum ac vestitum corpus fundatur, tum vero existit ea, quam quaerimus, quam in magnis viris admiramur, eloquentia, quam, ab illa ipsa vi infusa, vim dicendi Latinorum consuetudo appellat. Sed haec vis proficisci nisi a pectore ipso non potest: ex hoc illa fonte manat: hinc generosas origines ducit: hoc, hoc est, quod disertos, quod vere eloquentes facit.

Id ut plane vobis appareat, quid aliud mihi faciendum putem, quam ut illud ipsum Oratoris praeclari pectus vobis aperiam, ejus naturam, sensus, vim, motusque omnes demonstrem, atque eodem tempore vos rei longe pulcherrimae spectaculo delectem. Etenim si nemo potest cordis ejus, quo corpusculum hoc mortale movetur, structuram, vim, et motus perennes, per totum corpus propagatos, sine admiratione quadam, plenâ cujusdam humanissimae delectationis, spectare et cogitare: illius profecto pectoris, quo magni oratores cientur, vis, et motus, tanto magis animos voluptate explebunt, quanto pulchriores et admirabiliores animornm immortales motus, mortalibus corporum agitationibus debent videri.

Ac primum, ut in corde corporeo, sic in illo, quod describimus, inest quaedam non modo teneritas ac mollitudo, omnem honestatis ac turpitudinis, rerum bonarum malarumque sensum facile ac celeriter arripiens, sed etiam firmitas quaedam ac robur, adversus fortunae utriusque vim, adversus voluptatum illecebras, divitiarum denique et laudis vanae delinimenta. Sensus doloris inest acerrimus in malis alienis

ac publicis, in suis levis: felicitatis alienae, in primis publicae, studium ardens: virtutum omnium amor, vitiorum odium, religionis super omnes alias res reverentia: utilitatis communis perpetua cura, suae contemtus.

Ab tali autem pectore, quis non videt, primum, aequum esse, ut omnis oratio ducatur? deinde, si ab eo profecta sit, longe praestantissimam et admiratione dignissimam, denique efficacissimam esse. Omnis oratio natura nascitur a mente atque a ratione, estque tum demum vere humana, cum sensum animumque hominis ita perspicue declarat, ut nihil aliud, quam mens ipsa per verba prodiens foras, et cum verborum sonis, tamquam cum corpore quodam suo, conjuncta videatur. Nam oratio nullam sententiam complexa non magis oratio est, quam corpus mente cassum homo: et quae non verum dicentis sensum, mentem animumqne exprimit, sed omnia alia, ea vero nihil nisi histrionis persona et vestis est, pulchram illa fortasse speciem arte effictam habens, sed histrionem tamen tegens: quod ipsum non fieri ita callide et constanter potest, ut non interdum histrio pelluceat, atque curiosis prudentum oculis pateat. Sed si a mente atque a pectore promanavit, non optima et pulcherrima erit, si a tali pectore fluxit, quale ante descripsimus, cujus non potest non bona et virtutes referre? Atque etiam si sit minus arte culta, minus laute et exquisite ornata verbis, tamen naturalem aliquam pulchritudinem, quasi ab animi quodam spiritu adflatam, habebit, quae capiat atque admiratione quadam expleat animos omnium, quos non vel a natura insitus vel a vitiis et rerum humilium sordidarumque amore offusus stupor ad talis pulchritudinis sensum hebetavit atque induravit. Quod si magno animo elatorum virorum interdum etiam silentium quavis oratione disertius est: quidni oratio

quaecunque diserta et sit et habeatur? Nam illud quidem concedi nullo modo potest, ut disertior sit humilis et sordidarum cupiditatum coeno obliti ac demersi animi oratio, quamvis bonis et ornatis verbis vestita, sive potius fucata. Ego quidem, quamquam et studium meum et docendi professio ita fert, ut verborum bonorum et ipse in dicendo studiosus sim, eorumque curam commendem, et laudem, et defendam: tamen me, fateor, malle in dicendo habere Tullii animum sine verbis ejus, quam verba omnia sine animo, malle Pauli illud ardens pro Dei gloria, et veritate atque virtute, pectus, cum omnibus Hebraismis, et, si ita placet, barbarismis etiam atque soloecismis, quam languentem illam ac prope dormientem Isocratis orationem, quamvis venustam, quamvis dulcem. Sed pietatis in Deum, honestatis, virtutisque amore integro plenum, et altis sensibus praeditum pectus, nunquam, ut sententiarum optimarum inventio, sic oratio probabilis deficit: nam haec est ipsa sapientia et prudentia, quae nec sterilis, nec infans et muta esse potest: nec ullo modo indisertum est, quod a magna pietate et virtute venit, quod magno et elato animo dicitur. Quod si tamen etiam apta et digna tantis rebus ornamenta accesserint, tum profecto existit ea, quam veram et perfectam eloquentiam dicere possimus.

Sed pressius agamus, et quomodo a tali pectore eloquentia vera nascatur, brevi demonstremus. Ea igitur duabus rebus constat, verbis ad cujusque rei magnitudinem accomodatis, et sententiis rerum, non his, quae in quovis disciplinae genere e compendiis doctrinae vulgaribus discuntur, quae sunt tironis potius quam oratoris, memoriae mediocris, non pectoris generosi atque animi celsi, sed iis, a quibus majestas, et gravitas, venustas deinde, et suavitas nascitur in dicendo, quae vel admirationem vel delec-

tationem habeant: quod genus sententiarum proprium est oratori. Sed cum principatum sine dubitatione teneant sententiae, in his ipsis autem eae, quae magnitudine et generositate sua permovent audientium animos: quis non sua sponte intelligit, e quo illae fonte sint hauriendae? Longinus quidem, magnae et sublimis orationis magister praeclarus, cum demonstrat, sublimitatem, quoad a rebus veniat; esse vel a felici quadam in sententiis audacia et insolentia, vel a magno et quasi divinitus concitato animi motu atque affectu, utrumque nasci docet a magnitudine animi, ejusque esse quasi echo et imaginem. Animus humilis, et abjectus, et sordidis cupiditatibus gravatus, nihil alti sentire, nullam rerum magnarum gravem cogitationem suscipere ac sustinere, nullo modo ad eloquentiae altitudinem niti atque adscendere potest. Qui parva et humilia sectatur, quomodo alta et magna cogitare atque appetere, et qui servilia curat, quomodo generosi quid parere ex sese atque edere potest? Quomodo autem generoso animi sensu ac motu agitari atque inflammari, eumque transfundere in animos audientium possunt, quos nihil movet, nisi suum lucrum, sua laus, sua voluptas: nihil angit atque sollicitat, nisi alienum commodum, aliena gloria, res ab aliis bene gestae? Praeclare et magnifice Paulus: Quis vestrum adfligitur, quorum ego non pariter adfligar? quis vestrum ab aliorum vel errore vel exemplo noxam trahit, ut ego non dolore incendar? Etiam si me haud pari amore redametis, tamen, tamen vitam pro vobis profundere paratus sum. Adeo ille alienis bonis malisque omnibus plus quam suis commovetur! Sed unde praeclari illi motus? unde illi magni sensus, in oratione omni eminentes? Amor Christi tenet nos, inquit. Non mihimet ipse placeo; non vestra expeto, sed vos: non haec caduca specto, sed futura illa immortalia. Hinc, hinc magnitudo

ista et sublimitas, non ab arte ulla aut artis praeceptis, quae ille cum ignarissimis ignorabat. Quicquid Demosthenes, quicquid Cicero in sententiis admirabile, et magnificum, et vehemens habent, id, qui attenderit, semper reperiet ab animo magno, communis utilitatis cupido, suae negligente, virtutis et sapientiae admiratore, periculorum et rerum humanarum omnium contemtore, et ab aliquo hujus talis animi vi concitato, gravi motu perfectum fuisse. Poëtas, cum altius et magnificentius loquerentur, divinus quidam spiritus adflare credebatur: qui nullus erat: sed insidens pectoribus vis, nata ab admiratione rerum magnarum, et per magnas et sublimes sententias profusa, enthusiasmi nomine consecrata est. Homines humiles, sordidi, et improbi, etiam ubi cupiditatis pravae levitate et affectus alicujus temeritate impelluntur, tamen fortius et gravius, interdum etiam sententias loquuntur, et se repente e luto suo erigere videntur: quid futurum putamus, si rerum divinarum admiratione, virtutis amore, vitiique odio exarserit magnanimus vir? Non divina magis oracula fundere, quam humano more loqui videbitur? Concionatorem quendam se audisse narrat Erasmus, de familia Dominici, in primis gravem et vehementem in dicendo, et copiosum sententiis magnis. Ex eo cum quaesisset, unde ipsi tanta vis in dicendo et copia esset, respondisse: hoc sibi esse institutum, ut, cum concionandum esset, daret se ad legendas Pauli epistolas: quarum lectione cum sentiret pectus sibi incaluisse, tum, posito libro, tota mente contueri id, de quo sibi dicendum foret; iisque cogitationibus plenus ubi in concionem prodiisset, nunquam sibi nec res ac sententias nec motum animi deesse. Hic profecto vidit id, quod nos demonstramus, a pectoris motu originem ducere veram et efficacem eloquentiam debere.

Quid autem? an in sententiis modo valebit vis honesti et magni pectoris, non etiam in verbis? Profecto etiam in his plurimum. Etiam imperitis de plebe hominibus non deesse solent verba, cum de rebus suis concitato animo loquuntur. Et homini docto, et prudenti, et rerum optimarum cogitatione ac sensu elato et incenso, ea defutura, non injussa sub linguam ventura putabimus? Immo vero, sicut sanctus ille et coelestis pectoris magni calor sententias parit, sic etiam non incitat modo verba, sed etiam pulchra gignit, interdum etiam in illis ipsis, qui vix mediocriter verborum scientiae operam dederunt, nedum in his, qui etiam horum elegantiam et copiam sunt consectati. Ego quidem me, fateor non dubitare, idque, plurimis rebus inductus, credo, maximam partem pulcherrimorum troporum et efficacissimarum loquendi formarum, quibus, in praeclaris scriptoribus legendis, capimur et movemur, quaeque maxime adjuvant sententiarum magnitudinem et gravitatem, non arte et cogitationis cura esse inventam, sed praeclaris viris, mente et animo concitatis, non quaerentibus ab illo ipso pectoris motu sua sponte suggestam et suppeditatam fuisse. Mihi adeo ipsi interdum in scribendo, cum animi quodam etiam placido motu incitarer, excidere memini formas dicendi, quas nunquam ante lectas aut auditas agnoscerem, neque tamen non probas et efficaces.

Sed si pulcherrima est eloquentia et sola perfecta, quae a pectore profecta est, eadem certe sola efficax est, et ad animos audientium permanat, et aculeos relinquit, et ea efficit miracula, quae literis monumentisque prodita miramur. Haec est, qua Pericles fulgurabat, tonabat, Graeciam universam permiscebat, propter quam Suada in labiis ejus sedere visa est: haec est, qua Demosthenes Athenas tamdiu praestitit invictas, quàm Philippus unam

timuit, prae qua sibi omnes Atticorum exercitus, classes, munimenta nugas videri dixit, qua Aeschinem perculit atque ejecit: hac Cicero Catilinam oppressit atque ejecit, plebem lege Agraria, h. e. alimentis suis, privavit, legi Rosciae placavit, Ligarium Caesari invito eripuit, Antonii furorem compressit, populum ad libertatis studium revocavit, in curia, in foro, in concionibus multos annos regnavit. Quicunque tandem Graecus aut Romanus, quicunque etiam Christianus valuit dicendo, qui fuere non pauci, eos omnes eloquentiam ex eodem, hoc est, pectoris sancti et magno quodam spiritu animati ac redundantis hausisse fonte reperietis: nec ulla est aut fuit unquam vera eloquentia, quae non ab hujus fontis beatissima efficacissimaque ubertate promanarit.

Quod si ita est — esse autem ita, dubitare vos non sinent ea, quae diximus — intelligitur id, quod maxime intelligi volo, studium eloquentiae verae esse idem studium sapientiae atque virtutis: quale esse voluerat Demosthenes; quem Philippus dicebat eloquentiam sibi sumsisse γυμνάσιον φιλοσοφίας, *exercitationem sapientiae atque virtutis*: neque aliam viam ad eloquentiam veram patere, quam quae per illud ipsum sapientiae et virtutis acerrimum studium ducat. Ab his seminibus nasci, ab his radicibus succum et alimenta trahere debet. Nam primum magni et alti de rebus divinis et humanis sensus, quibus animari pectus Oratoris volumus, ab nulla alia re ingenerari possunt, nisi ab sapientia, hoc est, rerum divinarum et humanarum scientiâ eâ, quae Dei operumque divinorum admirabilem magnitudinem pulchritudinemque, rerum earum, quas homines vulgo vel admirantur et appetunt, vel timent atque fugiunt, vanitatem et contemtibilem levitatem, virtutis autem amabilem praestantiam plane intelligere ac mente sensuque comprehendere docet. Motus autem illi

praeclari, quibus animos in dicendo volumus cieri, a qua vi possunt imprimi atque perennare, nisi pietatis in Deum atque virtutis amore, quo nihil est in permovendis animis efficacius et potentius, denique etiam perennius?

Quanto igitur in errore versantur ii, qui aut propter inscitiam sibi, aut per invidiam aliis persuadent, eloquentiam totam esse in verborum cura, et qui in his puritatem conservare, et troporum figurarumque corcinnarum flosculis conspergere orationem possit, eum bene dicere, ei oratoris nomen concedendum esse. Est profecto nulla, sine verborum bonorum copia, delectu, ornatuque, vera et perfecta eloquentia, ipso nomine verborum curam desiderante: nisi erravit magnus ille Caesar, cum in delectu verborum eloquentiae originem esse dicebat, aut non plurimum Ciceronis eloquentiae decessurum putamus, si, conservatis sententiis omnibus, verba ejus horridis et barbaris philosophorum vocabulis commutaremus. Addo etiam hoc: quae est apud rhetores in praecipiendo ultima, elocutio, eam in discendo debere esse primam, in eaque puerilem ac juvenilem aetatem legendo scribendoque maxime exerceri debere. Nam haec aetas valet memoria, et alacritate sua facile vincit molestiam, quae in rebus tam saepe minutis proponitur, denique ne sustinere quidem potest rerum gravitatem. Quod Aristoteles recte judicavit, qui in Ethicorum principio, quamquam explicans locum philosophiae maxime omnium facilem et planum, tamen procul abesse jubet adolescentes, et aliunde sibi, quae discant, pro aetatis viribus, petere ac comparare. Sed in verbis, quamvis bonis, et suavibus, et grandibus, quamvis denique apte collocatis, omnia aut summa esse, id vero nullo modo concedi potest per ea, quae ante sunt disputata.

Dicet aliquis: quid igitur faciendum erit rhetori,

qui nullos alios nisi adolescentes habet discipulos, si huic aetati verba magis conveniunt, quam res? quomodo ad eam, quam tu solam veram et perfectam dicis, eloquentiam poterit quemquam adducere? In quo, primum fateor, miseram quodammodo esse hodie eorum, qui eloquentiam profiteantur, sive ipsius potius eloquentiae, conditionem in eo, quod sola ista aetas eorum institutis utitur, quo tempore autem Graeci Romanique maxime utebantur rhetoribus, hoc est, aetate corroborata, et quo eorum opera maxime potest prodesse, eo vel se jam oratores putant, vel non possunt istius disciplinae exercitationibus apud magistros uti. Sed aliquid tamen, idque non contemnendum, relinquitur eloquentiae magistro, si sapiat, ac non ipse stultis opinionibus impeditus teneatur, quo possit adolescentibus ad illam eloquentiam, de qua dixi, comparandam plurimum prodesse. Id quale sit, paucis demonstrabo.

Bene et sapienter sic est, ante aliquot saecula, constitutum, ut puerilis juvenilisque disciplina maxime contineretur librorum veterum, Graecorum et Latinorum, interpretatione, et per horum lectionem aditus hominibus fieret ad sapientiam, et ad bene dicendi ac scribendi intelligentiam atque facultatem: idque e quo tempore est institutum, barbaries, superstitio, et multae ac maximae religionis, doctrinae atque vitae humanae corruptelae fugerunt, et, ut de hac una dicam, vera eloquentia per omnes terras est restituta, quae illius disciplinae formam probavissent: habuitque illa aetas, quae eam prima constitutam vidit, ita praeclaros oratores, ut altera aetas aurea appelletur. Sed multum refert, quomodo magistri in his libris tractandis versentur. Neque enim ignoro, non paucos, qui multos annos in iis vel praelegendis, vel cognoscendis consumserint, tamen et in intelligendo, et in dicendo ac scribendo reperiri tales

ut eos nunquam attigisse videantur: quod, satis scio, non tam fieri ingeniorum tarditate ac stupore, quam perversitate quadam eorum librorum tractandorum. Si quis igitur nihil in illis libris vel videt ipse, vel aliis demonstrat, quam verba et formulas dicendi, e rebus autem solos ritus antiquos et historias, in iisque illustrandis maxime occupatur, is sane eruditionis, nec injucundae, nec inutilis comparandae facultatem dederit, ad eloquentiam illam veram nihil admodum profuerit studiosis. Quid igitur aliud aget? Nempe interpretationem scriptorum Graecorum et Latinorum, in primis eorum, qui sint cum eloquentia conjunctiores, referet etiam ad illa, quibus intelligendis ac percipiendis ingenia ad altitudinem sentiendi et cogitandi attolli, et animi ad magnitudinem augeri, fortitudinemque firmari et roborari, denique amore rerum divinarum virtutisque incendi posse videantur. In quo primum erit hoc, ut propius admoveat animis discentium ea, in quibus insunt alti et magnifici sensus, de rebus divinis et virtute, aut motus praeclari, hoc est, a virtutis amore et vitii odio nati, efficiatque, ut sentiant vim sententiarum, earumque altitudine quodammodo et ipsi attollantur, utque motu scribentis pariter moveantur, ament, oderint, indignentur, laetentur, doleant una. Et altitudinem quidem sensuum assequentur, et paullatim eorum admiratione afficientur juvenes, si causas magnitudinis explicabit magister, et fontes patefaciet, et quasi quasdam mensuras cujusque talis magnitudinis tradet, easque exercitatione assidua adsuefaciet in promtu habere, et ad eas omnia dicta et facta exigere. Proderit etiam, si subinde jusserit animadvertere in talibus locis, et interrogare animum, an aliquid sentiat, quomodo afficiatur, et, quid sit, quod sentiat, indagare, denique, quale sit, et unde eam vim habeat, quaerere. Sed in primis efficax erit ad excitandam hanc

animi vim, et inspirandum vel virtutis amorem et admirationem, vel vitii odium, et in improbe factis indignationem generosam, si in omnibus dictis et factis, quae habent perspicuam virtutis alicujus aut vitii significationem, eorum judicium permittas juvenibus, qualia quaeque videantur, quomodo placeant, requiras, recteque judicantes, praesertim cum aliqua significatione animi, vel praestantia virtutis, vel foeditate improbitatis commoti, probes atque laudes. Verbo, in omni interpretatione oratorum, historicorum, et vero etiam poëtarum, referenda omnia erunt ad bonam mentem: ea excitanda, alenda, roboranda, quantum potest. Et quando pleni sunt isti libri pulcherrimarum acutissimarumque sententiarum de Deo rebusque divinis, de omni virtute, de natura rerum humanarum omnium, cum publicarum tum privatarum, sine quarum magna et parata copia bene copioseque dicendi facultas contingere nemini potest, huc quoque cura docendi debet dirigi, ut hae a discentibus animadvertantur, gustentur, ac penitus imbibantur animis, atque ingenia hoc quasi humanitatis cibo alantur. Denique omnia, quantum potest, comparare oportet cum literis divinis, et quanto ibi majora illa sint omnia, et luculentiora, et certiora, admonere, et sic eorum etiam vim augere. Sed ut ille ait, si vis me flere, flendum tibi prius est ipsi: ita altius descendent omnia in animos, et majorem vim exserent, si in persequendis divinae sapientiae, bonitatis, justitiae, totius denique providentiae vestigiis, in admiratione virtutis, magnitudinis animi et praeclare factorum, in detestatione vitiorum et scelerum, eo sono vocis, eo vultu loquaris, ut te quoque commotum esse appareat, hoc est, si ipse omnibus iis sensibus ac motibus plenum pectus habeas, quos imprimere aliis velis.

Haec est illa vetus disciplina, qua Philippum

Melanchthonem et Camerarium usos esse, ex eorum libris, in primisque praefationibus Graecorum et Latinorum scriptorum, intellexi: per quos viros, quis nescit, omnium bonarum artium, atque etiam eloquentiae studia in his terris esse fundata? quae si conservata constanter fuisset, etiam nunc haberemus sat multos, quorum laude veterem illam Saxoniae et Germaniae gloriam, per duum hos viros partam, tueremur:hac qui utetur, is in veram et rectam viam deducet studiosos, in qua si velint strenue postea pergere, haud dubie ad veram eloquentiam perveniant. Atque haec est illa ipsa disciplina, qua ipse per tot annos in veteribus libris interpretandis usus sum, neque sine meo, ut satis scio, nec sine aliorum, ut spero, fructu, utarque, quoad in hoc curriculo decurrendum erit. Sed cum antea in hac eloquentiae omniumque bonarum artium disciplina multis, et magnis, et suavibus causis incitarer: religione primum officii, qua nihil honesto et Christiano viro debet esse gravius, incredibili ipsarum litterarum et vero etiam discere cupientium amore, favore porro multorum tum illustrissimorum virorum, tum eruditissimorum, et in hac urbe, ac patria, et apud exteros hominum, studiis denique juventutis nostrae acerrimis: his igitur rebus, aliisque, cum antea ita incitarer, ut nullus me labor frangeret, nulla molestia debilitaret, nihil eorum, quae hominum eruditorum studia, praesertim in hoc genere, refrigerare atque extinguere solent, retardaret, existimaremque, in eo studio et industria nullum esse incremento locum relictum: tamen nunc vel ea accessio facta est, ut superius illud studium leve fuisse videatur, vel ea commendatio accessit, ut id multo mihi jucundius sit factum, postquam illud ipsum studium meum honorificentissimo AUGUSTI Regis, patriae patris optimi, judicio ac decreto est ornatum, quod mihi eloquentiae nominatim

docendae munus mandavit. In eo honore etsi beneficium est permagnum, et ad fructum animi mei tantum, ut nulla alia commendatione indigeat: tamen longe amabilius et suavius est factum, cum id mihi traditum est per manus summorum virorum, quorum splendor, immortalia in patriam merita, adversus bonas literas verissimus et intelligentissimus favor, incredibilis denique humanitas, quicquid bene cuiquam fecerint, quamvis per se leve ac tenue, tamen et gravissimum, et maximum, denique jucundissimum facit: quorum in me retinendo ornandoque studium extitit tantum, ut non tam tenuem hunc hominem, quam ipsas bonas literas ornare, et sic quoque eas vestris, humanissimi Commilitones, studiis commendare voluisse videantur. Hoc ergo beneficium, si ego jam dicendo ornare, ejusque gratiam verbis demonstrare, et sic me gratum probare instituerem, oratio profecto mihi deesse non posset. Ac si ullus est locus, in quo, quam faciat pectus disertos homines, re demonstrare possem, hic profecto est: quem ego non dimitterem, nisi vererer, ne interdum meus me pudor debilitaret, et pios pectoris motus cohiberet. Atque etiam hoc est genus dicendi, in quo me, fateor, omnium minime esse exercitatum. In docendo, monendo, suadendo, hortando, ut non indisertus essem, laboravi: in officio persolvendo, magis rem quam orationem exercere consuevi: animo et factis semper gratus esse malui, quam lingua et verbis. Illos adeo ipsos, quibus talis debetur oratio, ea esse animi magnitudine et prudentia scio, ut eam nullo modo desiderare videantur. Magnus et excelsus animus beneficia tribuit, ut bene faciat, non ut ab eo, cui tribuit, bene audiat: et ut quisque est prudentior, ita in omni re sibi factis mavult satisfieri, quam verbis. Quare sic potius me comparabo, ut beneficium ipsum pietate animi sempiterna colam, et

quibus rebus est tributum, in iis non modo nihil remittam postea, sed eas etiam auctiores cumulatioresque reddam.

Neque alio animo esse confido vos, Patres ac Professores venerandi, quibus cum jam arctiori quodam collegii vinculo conjungor. Non arbitror vos disertam et verbosam officii promissionem exspectare, ac requirere: in qua qui verbis sunt copiosissimi, factis plerumque sunt parcissimi. Si non vita mea anteacta probat, me talem posthac fore, qualem maxime velitis: dicendo id vincere, etiam si possim, tamen nolim. In docendo esse assiduum, laboriosum, ac fidelem, utilitati litterarum atque hujus Academiae communi suum commodum postponere, ejusque gloriae et famae pro viribus consulere, hae sunt boni Professoris partes: his, opinor, in primis bonum collegam censetis: his a multis annis vobis satisfacere studui: his in posterum etiam ut satisfaciam, curabo. Atque etiam alia quaedam ab humanae divinaeque sapientiae studio bona habeo, quibus me spero commodum collegam fore. Nihil facilius fero, quam dissensum in opinionibus et consiliis, et mihi habeo persuasum, nunquam me ad eam sapientiam perventurum, ut aequum existimare possim, omnes idem mecum statuere ac velle. Omnibus non modo artibus, sed etiam hominibus, qui in aliquo genere excellenter versari cupiunt, impense faveo, et eorum laudes et utilitates paene duco meas. Si cui possim prodesse, etiam non rogatus, magis ejus causa laborare possum, quam mea: et si cui profui, ignaro in primis, et non animadvertenti, vehementer et sincere gaudeo. Interdum non bonam gratiam retuli: nec tamen poenituit: neque enim eam spectaram. Alienissimus sum a suspicionibus, et facile credo, mihi omnes esse amicos. Subinde deceptus sum, a quibus non putaram: tamen animum hunc non mutabo. Malo centies in hanc

partem decipi, quam semel in alteram. Prudentiam scio existimari, non facile credere hominibus, praesertim de nobis. Sed ego ad eam sapientiam ut pervenirem, nunquam laboravi: et istius prudentiae tormento etiam posthaec libenter carebo. His studiis nostris, si velimus docere assidue et discere, quae restant (restant autem semper infinita), et scribere aliquid, quod prosit iis, qui nos audire non possunt, nec dedecori sit nomini nostro et huic Academiae, sed veterem ejus gloriam defendat: haec, inquam, si velimus, ut debemus certe, facere pariter, tranquillitate opus est animi atque vitae, ut toti iis rebus vacemus. Sed nihil est tam occupatum, tam distractum, tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam animus suspiciosae isti prudentiae deditus. His igitur rebus si potero Collega placere — et quidni possim talibus viris — haud dubie placebo: aliis artibus placere nondum didici.

Quid autem possum, humanissimi Commilitones, aut vobis promittere, quod non speretis, aut a vobis sperare, quod non dudum abunde praestiteritis? Non dicam, quantum vestrum erga me studium multis rebus cognoverim: quod etiam haec vestra frequentia significat, qua novi muneris initia, in hac tanta tempestatis foeditate, honestastis. Quae ad meum proprie honorem pertinent, etsi non sunt ingrata, praesertim a vobis, tamen non magnopere a me requiruntur: quae ad vestram laudem et utilitatem et hujus Academiae gloriam pertinent, longe sunt, uti debent, jucundiora. Quis ergo ignorat, quanta vestra semper frequentia fuerit in me audiendo, cum ex hoc loco, aut domi, Ciceronem, aliosve scriptores Graecos et Latinos interpretarer, aut ad librorum sacrorum intelligentiam aditum per litterarum antiquarum praesidia facerem? Quod non mea causa dico. Neque enim istam gloriam meam possum putare; qui sciam,

saepe majores me in hoc genere viros in aliis Academiis prope solos in cathedris relictos fuisse, atque in tali solitudine etiam num quosdam versari. Immo vestra ista laus est, Academiae nostrae ista gloria est. Non existimabitis, ut spero, me hoc auribus vestris dare. Non assentatorem me vobis datum esse scio, sed doctorem. Possum vobis sancte affirmare, saepe viros doctissimos ex aliis Academiis, qui istos vestros concursus vel vidissent, vel audissent, felicem me praedicasse, cum juventutem hic haberem eam, quae gustum, ita loquebantur, humaniorum litterarum caperet, cum in aliis plerisque Academiis juventus istas res pro verbis contemnere, et quandam verborum barbariem pro rebus sectari, et doceretur et disceret.

Quidni ergo sperem, hunc vos amorem istarum litterarum conservaturos esse? aut quid ego vos ad earum studium cohorter, quo vos vestra sponte video esse incensos. Nempe haec est veterrima hujus Academiae gloria, habere juventutem istarum litterarum amantem ac studiosam, si quis eam vel mediocriter excitet ac sustentet: est ipsius urbis, quae quadam sibi propria elegantia amorem humanitatis et elegantiorum litterarum videtur inspirare. Qui primi litterarum bonarum scholas hic aperuere, Herm. Buschius, Jo. Rhagius Aesticampianus, etsi brevi tempore a Theologistis et Sophistis barbaris sunt ejecti, qui de se et de sua sapientia actum videbant, si ista studia convaluissent: tamen juventutis maximos ad eos concursus factos esse constat, et per illius ipsius juventutis ferventia studia tandem vicisse Georgium Heltum et Joachimum Camerarium: nec unquam magistris discentium studia defuerunt, modo docentium recta studia nunquam defuissent. Quare tenete hoc, tam vobis honestum, atque etiam haud dubie utile futurum studium, neque ab eo vos ullius vocibus

abstrahi sinite. Ego vero vobis polliceor, me studiis vestris nunquam defuturum, sed etiam cum incommodo et molestia mea, si aliter fieri non possit, inserviturum esse.

Vos autem, A. A., mecum vota facite, ut Deus O. M., cujus beneficio et res Saxonica universa et haec Academia per tot secula stetit, primum AUGUSTUM Regem, patriae patrem optimum, cum Augusta conjuge, et celsissimum filium heredem, bonarum litterarum grande praesidium, cum celsissima uxore, celsissimisque filiis, totam denique regiam domum, omni regali felicitate beet: eos porro quorum consilio, prudentia, cura, vigiliisque res Saxonicae administrantur, felici consiliorum et rerum omnium successu, dignis denique meritorum praemiis ornet: ut hanc Academiam usque ad finem rerum humanarum incorruptae Christi doctrinae et omnis verae sapientiae sedem esse jubeat: urbem autem ipsam, quae ei pulcherrimum et saluberrimum domicilium praebet, omni bonarum rerum copia affluentem reddat: uti omnes, qui in divinarum humanarumque artium studiis, vel docendo vel discendo, versantur vero et integro animo, laboris studiique fructus uberrimos capere sinat: denique etiam omnibus meis institutis ac coeptis prosperos et constantes successus largiatur. DIXI.

XI

PAULINI A S. JOSEPHO
ORATIO
DE
STUDIO POETARUM
AD
LITTERAS ET ELOQUENTIAM NECESSARIO.

Habita Romae Anno MDCCXXXIII.

Si qua fuit unquam opinio optimis artibus perniciosa, quae adolescentium nostrorum in suscepto litterarum curriculo iter retardaret, aut impediret; ea certe est, quam hoc tempore multi habent de Poeticae facultatis doctrina. Putant enim, se nullum, aut perexiguum ex ejusmodi studio fructum esse percepturos: proinde non modo praecipua carminum genera, leges ac metra discere dedignantur, sed ne ipsam quidem poetarum lectionem, qua certe nihil suavius, nihil est jucundius, audire operae pretium ducunt. Hinc fit, ut statis diebus, qui sive Horatio, sive Plauto, sive Terentio, aliisque poetis a nobis de more interpretandis dedicantur, complures eorum has scholas minime frequentent, qui alioquin oratoribus aut historicis explicandis haud indiligenter adesse consueverunt. Quasi vero ex illa poetarum lectione nihil

solidi aut bonae frugis domum referre possint, aut nos homines otiosi alternis diebus poeticis nugis et anilibus fabellis delectemur. Itaque ut aliquando tandem, quam stulte hac in re decipiantur, agnoscant, constitui in hac studiorum ineuntium celebritate poeticae artis utilitatem ante oculos istorum ponere, ut, qui ad latinitatis elegantiam et eloquentiae dignitatem aspirare volunt, demum intelligant, neglecto poetarum studio se oleum atque operam perdere; adeoque si quis in illis latinarum litterarum est amor, si quod eloquentiae comparandae studium, certo sciant, interesse sua plurimum, iratis Musis et Apollini tempestive reconciliari, ut ipsis faventibus ad nobilissima ejusmodi studia viam sibi muniant expeditam.

Nolo autem in hoc ipso dicendi aditu diu morari in poeticae laudibus praedicandis, quod nimirum longum esset ac perdificile. Hoc sane multi ante me oratores, praesertim vero Hermogenes et Aphthonius, clarissimi rhetores, et copiose, et graviter, et ornate fecerunt. Multa sunt volumina, quae poeticae artis dignitatem, tum etiam vetustissimam, imo divinam ejus originem, quam illa a Diis ipsis ducere creditur, satis superque commendant. Neque aliquis vestrum ignorat honores amplissimos, quibus tum Graecia, tum Romana res publica poetas, quasi homines caelesti spiritu afflatos, atque ad nos de caelo delapsos, coluit, quos proinde Deorum filios Plato nuncupavit. Et sane quis ab orbe condito fuit unquam Homero fama illustrior, et omnium ore magis celebratus? Cujus ingenium sine exemplo maximum Velleius affirmavit, eumque solum magnitudine operis et fulgore carminum appellari poetam meruisse. Cuinam Roma ampliores honores, quam latinorum poetarum principi, Publ. Virgilio, detulit? Testes sunt Caesaris Augusti litterae; testis ipse Pop. Rom., qui in theatrum advenienti assurexit universus, atque

illum praesentem spectantemque non minus, ac Augustum ipsum, venerari solitus est. Quid dicam plurimos clarissimos reges et imperatores, qui poetica facultate pollere pulcherrimum sibi duxerunt, neque ex illa minorem sibi gloriam, quam ex re militari, atque orbis imperio comparari posse putaverunt. Infinita sunt equidem nobilissimae facultatis decora, et summa ac prope singularis apud omnes fere gentes poetarum gloria. Sed cum de iis dubitare non possint, nisi qui, rudes prorsus ac barbari, omni litterarum notitia carent, ne actum agere videar, ad illa protinus me convertam, quae ex poeticis studiis maxima consequuntur emolumenta.

Igitur adolescentes nostri in humanioribus litteris et eloquentia proficere, quod felix faustumque sit, percupiunt; at musas, et carmina et poetarum libros cane pejus et angue oderunt, atque aversantur. Verum usque adeone boni adolescentes poeticae naturam, ne nomen dicam, ignorant, ut quanta sit inter bonas litteras et eloquentiae studium cum poetica disciplina conjunctio, minime videant? Ignorantne eloquentiam, a poetica tanquam a parente filiam ortam atque progenitam? Audiant gravissimae auctoritatis viros, Strabonem et Isidorum, qui tam apud Graecos, quam apud Latinos longe antiquiorem carminum, quam prosae, curam fuisse testantur. Audiant Plutarchum, qui in suis opusculis, tum in libro de musica, tum in eo, in quo docet, quomodo a juvenibus poetae audiendi sint, inter cetera luculenter ostendit, poeticam omnis disciplinae fuisse initium. Et sane, si poetae jam tum dispersos homines in unum locum congregasse, et mira dulcedine carminum ex agresti illo ac ferino vivendi genere ad mitiorem et humaniorem vitam traduxisse perhibentur, quis dubitet, poeticae inter reliquas disciplinas principem locum esse tribuendum? Ipsa quidem multo prius, quam

eloquentia, potuit agrestes et immites hominum animos mulcere cantu, et ad pulchritudinem virtutis allicere. Ipsa prior apud illos de immortali Deorum natura disserere, eorum laudes cavere, et sacra facere instituit, unde poetae primi et Theologi, et Sacerdotes vocati sunt.

At dicet quispiam: non de dignitate, aut origine disciplinarum lis est: sed cui bono adolescentibus ad eloquentiam properantibus poetica sit, abs te quaerimus? Ita sane. Ego equidem a poetis omnem latinarum litterarum elegantiam et eloquentiae laudem in nos derivari contendo. Quis enim hac nostra aetate latine scire aut latine scribere cupiat, qui longe melius ex ipsa poetarum lectione, quam ex Grammaticorum schola voti compos non fiat? Aetatem quis terat in Grammaticorum subselliis; audiat complures annos Priscianum, audiat Servium et Donatum, percurrat Alvarum, perlegat Scioppium, aut quoscunque alios, qui de Grammatica diligenter accurateque scripserunt: quid illi diuturnus adeo atque improbus labor tandem proderit ad latinae locutionis castitatem et elegantiam comparandam? Nihil profecto. Nam, ut Quinctilianus affirmat, quid aliud est grammatice loqui, quam omnino latine non loqui? Erit quidem tibi sine barbarismis aut soloecismis oratio, erit immunis a censoris Grammaticorum virgula sermo; sed macer, et exsanguis, et veluti corpus, in quo nihil praeter ossa, aridum ac sine spiritu. Contra vero, si Plauto ac Terentio te dederis, si Virgilium atque Horatium, si Catullum ceterosque elegantiores poetas in manus persaepe sumseris, haud multum aberit, quin, in Latium quasi translatus, latinam linguam arripias, et non minus latine loquendo, quam latine scribendo valeas. Et sane, ex quonam fonte summus ille latinitatis magister ac parens, Cicero, proprietatem sermonis nitoremque verborum hausit,

utrum ex Varronis Grammatica, an ex perpetua Plauti, Terentii aliorumque poetarum lectione, quos, quamdiu vixit, in oculis habuit atque deliciis? Si quis vel paululum ad singulos ejus libros animum adjiciat; facile intelliget, quot passim occurrant, veluti in prato, flores scite et eleganter dicta, quae ille a poetarum lectione collegit. Quot enim apophthegmata, quot adagia in ejus libris de officiis, de divinatione, in quaestionibus Tusculanis, tum etiam in admirandis ac prope divinis illius oratonibus, in quibus omnis eloquentiae amplitudo, veluti in theatro, exspatiari visa est? Unde breves illae et illustres sententiae: *homo sum*, *et nihil humani a me alienum puto*; *obsequium amicos*, *veritas odium parit*; *neque dedi*, *neque do fidem infideli cuiquam*, atque alia sexcenta, nisi ex poetis, ut singula verba testantur? Neque vero id tantum M. Tullio, sed ceteris quoque oratoribus familiare fuisse Quinctilianus affirmat. Credamus, inquit, summis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem causarum, vel ad ornamenta eloquentiae assumunt. Nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequentius tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii, et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis, cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent. Ex iis jam plane constat, quam turpiter hallucinentur, qui poetarum lectionem tanquam inutilem damnant, et adolescentium e manibus poetas stultissime excutiunt. Sunt profecto poetae genus hominum, inter scriptores omnes eloquendi studiosissimorum. Hanc ipsis laudem tribuit acerrimus omnium unius latinitatis censor, Laurentius Valla, qui in aspera illa contra Bartholomaeum Facium de quibusdam latinis vocibus pugna, M. Tullii auctoritate minime contentus, ad poetas ipsos, quos

omnium in dicendo castigatissimos vocat, provocare non dubitavit. Et sane quis Publ. Terentio purior et elegantior, cujus mira est amoenitas, judicium ac venustas; cujus incredibiles lepores, ut Josephus Scaliger ait, vix centesimus eruditorum quisque videt? Quis Plauto magis excultus, magis venustus, unoque verbo, magis latinus, quem latinae linguae et elegantiae principem A. Gellius appellat, cujus ore Musas locuturas fuisse, si latine loqui vellent, Aelius Stilo dixisse fertur? Quis denique Catullo, quis Publ. Virgilio, quis Horatio Flacco proprietate dicendi et nitore praestantior? Non immerito hos atque alios elegantissimos ejusmodi poetas, tanquam optimos latinae linguae auctores, una cum Caesare, cum Corn. Nepote, cum M. Tullio aliisque praecipuis latinae linguae parentibus recensere non dubitarunt Hadrianus Cardinalis, Borrichius, Cellarius, Funccius, Facciolatus aliique emunctae naris censores ac viri doctissimi. Et revera, si poetarum fontes arescerent, non tam florentem, foecundam atque uberem latinam linguam haberemns.

At enim diligens et accuratum unius Ciceronis studium ad omnem latinitatis nitorem et copiam comparandam satis esse videtur. Quid? Nonne duos abhinc annos tute ex hoc ipso loco M. Ciceronem unum omnium maxime castitate sermonis dicendique venustate ceteris auctoribus praeferendum esse affirmabas? Illum scilicet latinitatis parentem, illum elegantiae magistrum, illum denique eloquentiae ducem et imperatorem esse praedicabas, proinde illum ipsum nos unice debere complecti, et pro viribus imitari? Cur ergo nunc poetas tantis in caelum laudibus tollere, eosque nobis tanquam latinitatis elegantioris magistros objicere? Video, Auditores, poetarum causam summum in periculum ac discrimen esse adductam. Aut enim M. Tullium poetis, aut

poetas M. Tullio de suo jure cedere necesse erit. Itane vero? Quid, si M. Tullio ipso auctore vos ad poetarum studia incitari, urgeri ac propemodum compelli ostendam? Nemo fere est in Ciceronis libris vel mediocriter versatus, qui non intelligat, quantum Ciceronianae imitationi vim et dignitatem conferat diligens et assidua lectio poetarum. Nam unde tot sales, unde tot festivitates, unde tot lepores Cicero ipse in sua scripta derivavit, nisi a poetis? Proinde ille saepius oratori, quem suscepit instituendum, et praeclaro suimet exemplo et gravissimis verbis inculcat, non minus quidem poetas, quam oratores esse legendos. Itaque in lib. 3. (c. 10) de oratore: omnis, inquit, loquendi elegantia, quanquam expolitur scientiâ litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Nec multo post eandem incudem tundens, de subtiliore litterarum ratione loquens, hanc, inquit, alit consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, confirmant libri et lectio veterum oratorum et poetarum. Audistis? Ad elegantiam latine loquendi, ad interiorem litterarum cognitionem non sola oratorum lectione, sed poetarum quoque intelligentiâ atque usu vobis opus est. Hac autem de re vos non Homerus, non Euripides, non Horatius monet, aut alius quispiam e genere poetarum, sed oratorum dux et antesignanus, M. Tullius, cujus auctoritas apud vos si tanta est, quanta profecto esse debet, jam plane videtis, quo loco et existimatione poetas habere debeatis.

Sed jam tempus est, ut, quantum ad eloquentiae dignitatem poesis ipsa conferat, clariore argumento percipiatis. Nemo vestrum ignorat, eloquentiae splendorem et decus ab elocutione potissimum proficisci. Haec nimirum orationem veluti lux illuminat et colorat; haec res variis tropis et figuris exornat; haec demum facit, ut sermo eloquens ab omni alio dignitate

et naturali pulchritudine distinguatur. Omnes autem intelligunt, elocutionem ad oratores a poetis, ut Aristoteles ait, esse profectam. Quanquam enim non sit apud oratores et poetas eadem loquendi ratio, imo poetae alia quadam lingua, ut Cicero affirmat, loqui soleant: splendidam tamen uberrimamque et verborum et sententiarum supellectilem oratori poeta suppeditat, unde oratio fiat ditior et figuris veluti luminibus illustretur. Atque hinc est, quod Cicero in libris de oratore eloquentiae candidatos tam saepe serioque monet, ut meminerint, se non oratorum tantum sed et poetarum studio deditos esse debere. Et sane quis non videt, omnem granditatem orationis, omnem peregrinam et a vulgari abhorrentem conformationem verborum, omnes figuras insigniores non ab alio scriptorum genere peti, quam a poetis? Non est, quod longius, confirmandae rei causa, argumenta conquiramus. Satis est, ut unam vel alteram M. Tullii orationem ad memoriam vobis revocetis, in qua non adumbrata, sed expressa poetarum vestigia conspicietis. Recordamini, si placet, gravissimam illam non minus ac festivam pro M. Caelio, quam anno superiore explanavimus. Agebatur causa summis involuta difficultatibus, ac multis tricis implicata. Quaestio erat de veneno, primariae foeminae a M. Caelio comparato. Tres urgebant Caelium accusatores acerrimi; Herennius, Balbus, et Publ. Clodius, homo furiosus, et Clodiae sororis ultor infestissimus. Haud deerant graves de juvene M. Caelio suspiciones: aurum a Clodia commodatum, quod illi reddere tenebatur, immodici sumtus, aes alienum, ac praeterea Catilinae familiaritas, quae ejus pudorem et famam attriverat. Oppugnabat denique Caelium foemina nobilis ac furens, quae, quantum adolescentis ipsius amore antea deperierat, tantum postea odio ac furore inflammata in illum ferebatur. At Cicero, Caelii defensione suscepta,

convulsisque firmioribus objecti criminis fundamentis, ut hinc mulieris audaciam procaciamque comprimeret, illinc juvenis levitatem excusaret, et innocentiam tegeret, quot et quanta a poetis eloquentiae subsidia collegit? Quid enim Appius ille Caecus ab inferis excitatus, quem ad Clodiam, tanquam Clodiae gentis dedecus ac probrum, lepide simul et acriter insectandam coram judicibus loquentem sistit? Quid subtristis illa ac severa Caeciliani senis persona inducta, ut M. Caelium objurget, quod in nimiam Clodiae familiaritatem se dederit, quod so in ejus viciniam contulerit, quod, cognitis illius illecebris, ab ea domo pedem non continuo retraxerit? Quid postremo verba illa partim a Comicis, partim a Tragicis scriptoribus accepta, quibus ad ejusmodi personas vivis eloquentiae coloribus exprimendas utitur: *Nunc enim demum mihi animus ardet; nunc meum cor cumulatur ira. O infelix, o sceleste! Egone quid dicam? Egone quid velim? Quae tu omnia tuis foedis factis facis, ut nequicquam velim*; atque alia multa ex Caecilio poeta usurpata, quae, quantum ornamenti et leporis orationi Caecilianae conferant, paucis explicari non potest. Et quod magis est, poeticis hujusmodi figuris et salibus respersa oratio tantum apud judices valuit, ut, impudentissimae foeminae moribus ad unguem expressis, omnem veneni suspicionem a M. Caelio amoliretur, atque illum judicio periculoque liberaret. Neque mirum, si ea facilius persuadere solent, quae magis delectant ac movent; qua in re nemo magis quam poeta valet. Quis enim melius tot tamque dissimiles animorum nostrorum motus effingit? Ubi profecto clarius, quam in scena, videas alios iracundia furentes, alios amore insanos, alios contabescentes avaritia, aut luxu perditos, hos laetitia exsultantes, illos metu pallentes atque suspensos; adeo ut nulla sit in communi vita perturbatio, cujus exemplum ab

ipsa scena peti minime possit? Cum itaque opes et copias suas eloquentia in hoc maxime ostentet, ut mentes hominum, quo velit, facile impellat: quis non videt, quantum oratori ad causam obtinendam prosit, poetarum ipsorum virtutes persequi, eandemque concitandorum animorum rationem sibi comparare? Finitimus est, inquit Cicero, oratori poeta, cujus virtutes omnes persequitur, cum numeris sit adstrictior, ornandique generibus socius ac paene par.

Atque hinc est, quod prisci rhetores et eloquentiae magistri Menandrum praecipue pueris lectitandum et ediscendum dabant, quo facilius poeticae virtutis praestantiam et dotes eisdem instillarent, et expeditam ad eloquentiam viam sternerent. Quamobrem Dio Chrysostomus in oratione, quae de exercitatione dicendi inscribitur, inter cetera suadet in primis, ut Euripidem Tragicum et Menandrum Comicum assidue in manibus habeamus, atque eos non legamus tantum aut recitemus ipsi, sed ut coram nobis suaviter et canora voce eorum versus pronuntiari jubeamus, cum certum sit, altius a nobis penetrari solere sensus verborum, cum a legendi molestia liberi sumus. Quo facto quis non intelligit, veteres dicendi magistros et stili magnificentiam, et eloquentiae splendorem, et actionis ipsius dignitatem, ipsâ poetarum recitatione nobis sedulo insinuare voluisse? Tanta nimirum est eloquentiae cum poeticae studio conjunctio, tanta oratorum cum poetis affinitas, ut sine his illî nullo modo consistere posse videantur. A poetis enim orator habet plene ac numerose dicendi rationem, quod quidem non obtinet nisi qui aures habeat in poeticis numeris diu tritas multumque exercitatas: a poetis sententiarum gravitatem ac splendorem verborum, quibus ita rem exornat atque illustrat, ut non tam illam audire, quam oculis intueri videamur: a poetis denique sublimioris stili

majestatem, quae audientium animos extra se quodam modo rapiat et admirationem quoque ab invitis extorqueat; ut proinde, qui de arctissimo cum eloquentia poeticae vinculo dubitant, quasi de clarissima solis luce dubitare videantur. Quamobrem singulari Dei Opt. Max. providentia, renascentibus post diuturnum et luctuosum naufragium in Italia bonis literis, quid aliud operae primum sibi sumserunt Valla, Philelphus, Bembus, aliique plures immortalis memoriae viri, ad eloquentiam veteri splendori restituendam, nisi obsitas squalore ac rubigine Musas abstergere, atque Apollini irato litare? Ex quo factum est, ut sub idem fere tempus tot repente prodierint veluti ex equo Trojano viri, non minus in poetica, quam in arte dicendi praestantissimi, ut, quis utrâ magis excelleret, haud facile dijudicari possit. Vix enim fuit quisquam per ea tempora alicujus nominis doctrina et eloquentia clarus, qui simul poeta egregius non esset, cujus non exirent in lucem una cum soluta oratione varii generis carmina, hymni, elegiae, poemata, quorum bona pars ad nostram usque aetatem pervenit, adeo, ut Lilius Gyraldus, inito aetatis suae poetarum calculo, duos libros impleverit. Intelligebant quippe viri sapientes, neglecto poetarum studio, nullum neque ad eloquentiam, neque ad omnem sive Graecam sive Romanam eruditionem, aditum sibi patere, cum infinita fere sint antiquitatis mysteria, quae tum Graecorum tum Romanorum in carminibus latent poetarum. Sed paulatim eo me dicendo abreptum video, unde nec facile nec brevi emergere possit oratio; si nimirum dicere aggrediar, quanta sit non modo cum omni antiquitatis eruditione, sed cum ceteris quoque clarissimis disciplinis poeticae facultatis societas atque conjunctio. At nolo extra ostium limenque pedem efferre. Satis mihi erit, si humaniorum litterarum et eloquentiae studiis poesim maxime necessariam comprobavero.

Vos itaque, Adolescentes optimi, jam intelligitis, quanti aestimare debeatis poeticae disciplinae studium poetarumque lectionem. Continet illa purioris latinitatis succum et sanguinem; continet elegantiores dicendi veneres; continet masculae eloquentiae robur et dignitatem. Non desunt in poetis verborum splendor et sententiarum gravitas, quibus oratio sublimior incedat; non desunt jocandi lepos, sales ac facetiae, quibus sermo quandoque condiatur. Inest illis antiqui incorruptique sermonis venustas et gratia, quibus dotibus dialogi, epistolae, aliaque scribendi genera magnopere commendantur. Postremo ad omnem antiquitatis intelligentinm facem vobis poetae praeferunt. Sublatis enim de medio poetis, quam pauca nobis essent explorata atque comperta de moribus, de ritibus, de religione veterum Romanorum! Quanta nos lateret rerum innumerabilium scientia, quam posteritatis memoriae poetarum carmina tradiderunt! Proinde si vobis cum in his, tum in aliis optimis studiis excellere cordi est; si prae ceteris eloquentiae dignitas vobis arridet: nolite de sinu poetas unquam abjicere, nolite poetarum studia diu noctuque intermittere: brevi multos ingentesque fructus inde vos percepisse cognoscetis. Dixi.

XII

PAULINI A S. JOSEPHO
ORATIO
DE
FELICITATE VIRI LITERATI.
Habita Romae Anno MDCCXLVII.

Vetus est, et apud omnes fere homines pervagata opinio, sorte sua contentum esse neminem. Etenim alter alterum beatum putat, seque prae illo miserum, suasque res deterioris esse fortunae conqueritur. Quam obrem miles fortunatos in primis mercatores, mercator vero milites beatos praedicat; agricola otium et commoda civitatis habet ante oculos; civis agricolarum vitam placidam et procul a negotiis positam reputat beatissimam. Proinde fit, ut suae quemque fortunae poeniteat; nemo sibi in suscepto vitae instituto placeat, sed alienam suae praeferat sortem, suaque feliciorem invideat; quemadmodum rem hanc Venusinus poeta in sermone primo ad Maecenatem elegantissime prosequitur. At vero quamquam in terris, si verum fateri volumus, nulla sit rerum conditio, nulla hominum fortuna tam splendida atque opulenta, quae absolutam possit plenamque hominis felicitatem efficere, quam nimirum nobis in altera et immortali vita Deus opt. Max. in caelo servatam voluit, ut

proinde nemo unus in terris felix, nemo sit vere ex omni parte beatus: nihilo minus, dum mihi sapientis viri status ante oculos obversatur, dum omnem ejus vitae rationem tacita cogitatione contemplor, mutata profecto opinione, hominem certe quidem beatum apud nos reperiri posse minime dubito. Ita plane, auditores: ego equidem in hac sententia sum, hominem doctrinae studiis deditum, hominem doctum, unoque verbo hominem sapientem esse plane beatum, suaque sorte jure et merito haberi ac dici posse contentum. Haeretisne animo, et rem quasi omnino incredibilem vobis propositam esse putatis? Nequaquam. Sed id si mirum propter rei novitatem, aut minus probabile propter auctoritatem eorum, qui repugnant, vobis esse videatur: oro vos atque obtestor, ut ne me levitatis, aut erroris, indicta causa, damnare velitis; sed rationes et argumenta, quae me in hanc sententiam pertraxerunt, benigne attenteque audiatis. Quod quidem si nunquam alias, hodierno die minime dubito, vos esse facturos; neque enim levis, neque vulgaris, at multo gravissima res agitur, illa scilicet vitae felicitas, quae nobis in hac ipsa quam vivimus, vita contingere potest, et quam omnes tanquam maximum et extremum bonorum summopere expetunt et unice quaerunt.

Neminem vestrum dubitare arbitror, quin vera mortalium felicitas in animi quiete ac tranquillitate potissimum sita sit. Sed qua tandem ratione eam quis assequi perpetuoque frui possit, non est communis atque una omnium sententia. Putant plurimi, immensis opibus congestis sese beatissimos omnium fore, quod nimirum cuncta, ut ajunt, pecuniae obediant, quod opes hominem nihilo indigentem sufficientemque sibi faciant. Sed minime advertunt, quod molestias gravissimasque curas afferant opes illae, quae adimi, quae amitti possunt, quae denique in

arbitrio ac potestate fortunae positae sunt. Taceo, quod nunquam satiatur, sed crescit in dies cupiditatis sitis, atque animus haec inhians nunquam id tantum habet, quo expleri queat, cum avaritiae nihil unquam sit satis. Hinc Horatius Flaccus sapienter pronuntiavit: *non possidentem multa vocaveris recte beatum.* Alii vero pollicentur sibi felicitatem, si ad primariam aliquam dignitatem, si ad supremum magistratum iter sibi munierint. At, pro Deus immortalis, quae res tam lubrica et incerta, quam quae vel a multitudinis favore, vel a praepotentis hominis voluntate et gratia pendet! Quam saepe magnas spes et bene confirmatas una nox aut aliqua parva rumoris aura subvertit! Non est in hac urbe res nova oculis nostris aut insolens. Quid vero homines illi, qui deliciis affluunt, qui gemmis auroque ornati, qui unguentis delibuti incedunt, ac somno luxuque perditi in otio ac quiete vitam ducunt, nonne tibi lauti ac beati esse videntur? Errat, vehementer errat, qui ejusmodi homines (si homines magis, quam pecudes dicendi sint) tranquillam ac beatam vitam agere, sibi persuadeat. Anguntur illi saepe animo, ipsisque displicet, otio inertiaque marcescere: et cum nihil splendidum, nihil se suisque majoribus dignum agere possint, vitam doloris ac molestiae plenam traducunt. Cum igitur nec divitiarum copia, nec honorum splendor, nec vitae mollioris otium, quae bona plerique homines prima et omnium longe praestantissima putant, sinceram in animo tranquillitatem pariant, neque ex iis optata vitae felicitas expeti possit: quid aliud restat, nisi ut in sapientiae studio, aut nusquam alibi, beatae vitae rationem consistere posse judicemus? Hinc M. Cicero, quid est, inquit, per Deos, optabilius sapientia? Quid praestantius? Quid homini melius? Quid homine dignius?

Verum ut ad id, quod propositum est, propius

accedamus, cogitate mecum Aditores, quid tantum sit pax illa et animi quies, quam sapientis propriam esse dicimus, nisi hominem ab omni sollicitudine animique perturbatione vacuum esse et immunem? Hoc autem consequi profecto, praeterquam sapiens nemo potest. Cum enim animus noster in duas veluti partes, ut philosophi volunt, divisus sit; alteram rationis participem, alteram vero expertem et nobis cum brutis animantibus communem: persaepe fit, ut in hac motus turbulentissimi, tum ad iracundiam, tum ad cupiditatem impellentes exoriantur; ex quibus permultae aliae aegritudines ac perturbationes, tanquam familiae, in nos derivantur: in quas nisi ratio, quasi dux et moderatrix, imperium teneat, in maximas calamitates gravissimasque aerumnas hominem delabi necesse est. Hinc enim odia, hinc livor, hinc ambitio, hinc sexcentae aliae deterrimae pestes, quae rationis jugum excutere, eamque de sede sua deturbare conantur. Unde autem homini in tanto rerum discrimine summoque periculo arripienda sunt tela ad infestissimos ejusmodi hostes confodiendos longeque propulsandos, nisi auxiliares sapientia manus viresque conferat? Ita est profecto. Bonarum artium studia, philosophorum monita, historicorum exempla, musarum cantus, sunt quaedam quasi propugnacula, quibus hostium impetum et aggressiones homo sapiens repellit. Proinde nullum tam triste infortunium, nulla tam acerba calamitas occurrit, ut vere possit ejus animi tranquillitatem perturbare. Cogitat enim, quid forti et sapiente homine dignum sit, quid gravitas, quid animi magnitudo, quid vita hactenus praeclare acta, quid literarum studia, quid denique publica dignitas abs se postulet, atque in eo statu rerum efflagitet. Possem hoc loco tum ex vetere, tum ex recentiore historia infinita fere eorum exempla in medium proferre, qui e literarum sinu tantum

quietis ac tranquillitatis hauserunt, ut asperrima quaeque aequissimo animo toleraverint. Non de Anaxagora, non de Dione, aut Xenophonte loquar, quos in acerbissimo filiorum funere nihil ingemuisse, nihil animo commotos fuisse, memoriae proditum est. Satis sit ad memoriam vobis revocare Dionysium illum, Syracusanum tyrannum, qui, propter improbitatem e fastigio regiae dignitatis dejectus, et in exilium pulsus, ad eam miseram conditionem redactus est, ut Corinthi pueros grammaticam doceret. Hic aliquando interrogatus, quid Plato, quid Philosophia tandem sibi profuisset, libere respondit :id sibi profuisse, ut jacturam regni et atrocitatem fortunae placide tranquilleque perferret. O magnam doctrinae vim, quae facit, ut tyranni quoque, quorum animus conscientiae stimulis, tanquam ardentibus furiarum taedis, agitari perpetuo solet, dulcedinem suam degustent curarumque levamen inveniant; sed fortasse Dionysius poenam illam aequo animo tolerabat, quam justam ac sceleri suo debitam esse intelligebat. Quid si homo innocens, imo spectatissimae virtutis exemplum, bonis omnibus, honoribus, patria, carissimis filiis, vita denique spoliari se, summa animi tranquillitate, summaque constantia spectet? Severinum Boëthium dico, clarissimum illud Romanae virtutis lumen, qui consulari dignitate, amplissimis opibus, ac patria amissis, nihil est animo commotus, sed eadem mentis atque oris serenitate et diuturni carceris squalorem toleravit, et carnificis vultum telumque excepit. Erat ille Romae ex illustri Torquatorum familia natus, Graecis ac Latinis litteris ab adolescentia eruditus; erat Geometriae studiis instructus, in Arithmetica, in Musica apprime versatus. Quicquid ex Logicae artis subtilitate, quicquid ex naturali scientia, aut morali disciplina fuerat ab Aristotele subtiliter obscureque litteris traditum, summo ille ingenio, com-

mentariis, doctisque expositionibus illustraverat; cumque Ticinum, conspiratione malorum a Theoderico, Gothorum rege, relegatus fuisset, pulcherrimum illud de consolatione volumen conscripsit, in quo M. Tullium sibi proposuit, qui, ut extinctae filiae desiderium leniret, de animorum immortalitate disceptans, Tulliam vitae superstitem comprobavit: ita Boethius de falso ac vero bono, tum etiam de providentia disputans, nihil sine divino numine mortalibus evenire declarat. At Ciceronem ipsum in eo superasse videtur, quod, cum ille carmen non attigerit, Boethius, quo utile dulci misceret, rem tum oratione, tum carmine ita est prosecutus, ut ad utrumque sibi ingenium non defuisse demonstraverit. Ecce vobis in hoc clarissimo viro non adumbratam, sed expressam veram sapientis imaginem! Vidistis animi tranquillitatem incredibilem maximis curarum fluctibus minime perturbatam. Vidistis constantiam nullis adversis casibus perculsam aut oppressam. Vidistis denique, quid possint doctrinae studia ad assequendam mortalis vitae felicitatem. Quemadmodum enim, qui Olympi verticem attigerunt, procellas quidem et tempestates infra se positas vident, dum ipsi interea nullis ventorum turbinibus nullis imbribus obnoxii sunt, imo semper eâdem caeli facie, eademque serenitate gaudent: ita sapiens, turbulentissima quaeque despiciens, semper quietus ac tranquillus, placidissima vitae ratione perfruitur. Omnis quippe animi aegritudo levari potest suavissima meditatione litterarum. Atque hinc est, quod Aristippus homines doctrinae deditos non immerito Deorum simulacra nuncupaverit: quod nimirum, sicut illi sempiterna pace ac immutabili vitae tranquillitate laetantur, ita sapientis animus in beatissimo litterarum otio perpetuum conquiescit.

At, dicet quispiam, si tanta litterati hominis pax est, et tam firma animi tranquillitas: quid est, quod saepe inter illos odia et contentiones acerrimae de levissima etiam re, deque uno verbo excitentur, et maledicentissimis sese libellis invicem proscindant? Quis ignorat rixas et tragoedias inter Laurentium Vallam et Poggium, inter Politianum et Merulam, inter Acursium et Budaeum, inter Marinum et Murtulam, aliosque permultos magni nominis literatos? Ut nihil loquar de acerbissimis inimicitiis, quas in Italia, memoria nostra, eruditi quidam inter se palam gesserunt. Imo, si, quod res est, fateri volumus, ab ipsis fere litterarum incunabulis aemulatio, et superbiae comes, invidia, litteratorum animos occuparunt. Etenim Homerum Zoilus, etiam post ipsius fata, scriptis adversus eum libris, ausus est insectari, unde illi cognomen Ὁμηρομάστιγος. Sic quoque Antiochus Lemnius Socrati, Cydon Pythagorae, Xenophanes Colophonius Hesiodo, Amphion Cous Pindaro, Timocreon Simonidi, Asinius Pollio M. Tullio, ob invidiam fuere quam maxime infensi. Ut taceam Rhemnium Palaemonem, Alexandrinum grammaticum, qui M. Varroni, viro doctissimo, tantopere invidit, ut illum acerbe reprehendere ausus sit, et non Varronem, sed Verrem, per summum contemtum, appellaverit. Darem profecto, Auditores, adversario manus victas, et causâ omnino caderem, nisi vos singulari mentis acumine et sapientia praeditos cogitarem, qui veritatem a cavillationibus discernere optime nostis. Continent sane litterarum studia in se sublime aliquid ac divinum, per quod non minus doctus ab indocto, quam a brutis homo, distinguitur. Habent vero id cum ceteris rebus commune, ut, quantum optimus earum usus utilis est, et ad vitae felicitatem opportunus, tantum earum abusus ac perversa ratio rei publicae noceat. Quid stomacho conducibilius,

quam vinum? Quid tamen illius copia et ebrietate perniciosius, cui Lycurgus quo viam prorsus intercluderet, vites omnes excidi imperavit? Quid humano generi ferro et igne, ad omnem vitae usum, magis necessarium? Quibus nihilo minus, si ad populorum internecionem et urbium incendia, homines abutantur, nihil est, quod magis noxium et exitiabile excogitari possit. Ita quoque nihil est doctrinae studiis ad humanae vitae felicitatem opportunius; nihil ad extirpanda vitia, facesque cupiditatum restinguendas, magis aptum, si quidem illis probe utaris. Quod si eisdem ad gloriae cupiditatem et ambitionem, si ad lites et jurgia homines abutantur: tantum abest, ut eorum animi tranquillitate perfruantur, ut potius inquieti, queruli et angoribus pleni in maximas se calamitates impingant. Beata vita, inquit Seneca, sine virtute esse non potest, proinde miseri et infelices ejusmodi homines ad nos non pertinent. De homine quidem sapiente disputo, ut jam antea dixi, non de litteratoribus, qui aetatem in litibus flocci aestimandis, in gerris et nugis, conterunt. Pernego vero illum esse aut dici posse sapientem, qui sibi non sapit. Neque is sapere plane videtur, qui non intelligit, nihil esse homini invidia perniciosius, magisque cavendum; nihil magis virum litteratum dedecere, quam maledicentiam, et alienae laudis obtrectationem. Itaque longe abest a viro sapiente, de quo loquimur, aemulatio; longe abest invidia, odium, atque contentio; longe abest demum, quicquid a leni placidoque animo prorsus abhorret.

At enim quod quispiam, sedatis animi motibus, curis vacuam et perturbationibus vitam ducat, eritne idcirco beatus? Profecto beatam vitam, ut M. Tullius ait, non depulsione mali, sed adoptione boni indicemus oportet. Itane? Quasi vero animum pace ac tranquillitate tanta frui, bonum maximum dicendum

non sit, ac ceteris omnibus praeferendum. At quis adeo rudis, adeo rerum omnium ignarus existit, ut nesciat, quanta sit semperque fuerit hominum litteratorum gloria, quanta dignitas et amplitudo, quae, ut corpus umbra, illos consequitur? Quis ignorat, ejusmodi bona sapientiae studiis constituta semper fuisse, quasi fundum avitum et amplissimum patrimonium? Sunt haec per se clara, neque in iis opus est argumentis aut tempore abuti. Plenae sunt historiae, pleni litterarum annales. Verum non opes, non honores, non dignitates, non gloria, non triumphi comparandi ullo modo sunt cum ea felicitate, quae solet ex optimis studiis uberrime degustari. Te, Caesar Auguste, testem appello, qui, imperio terrarum potitus, perduellibus profligatis, ferocissimis nationibus domitis, tot clarissimis triumphis actis, totoque Orbe pacato, maximam potentiam adeptus, et in altissimo gloriae fastigio positus, nihilo minus de fortuna saepe conquestus es, quod ea vitae tranquillitate careres, qua homo privatus in litterarum otio perfruitur. O incredibilem litterarum vim! O singularem doctrinae suavitatem, quae, sapientissimi viri judicio, longe praestat immensis opibus, et victoriis omnibus ac triumphis est omnium maxime anteferenda. Sed, haec Augustum quasi ad emphasin pronunciasse, forte quis suspicetur. Non ita profecto. Nam ceterae omnes tum animi tum corporis voluptates habent sua tempora, certasque periodos, quas ultra progredi minime possunt. Venatio, palaestra, ludus, aliaeque oblectationes plurimae, quibus juvenilis aetas tantopere gaudet atque exultat, pariunt senectuti molestiam. At vero firma perpetuoque stabilis est suavissima voluptas, quae ex doctrinae studiis degustatur. Imo tantum abest, ut, quae delectatio in discendo sentitur, ingravescente aetate, minuatur, aut satietatem taediumque afferat,

ut experimento potius constet, eam in dies augeri, et majorem sui semper in animo cupiditatem excitare. Etenim ex annalium memoria accepimus, sapientes fere omnes, etiam aetate longaevos, ad extremum usque spiritum doctrinam in amore ac deliciis habuisse. Gorgiam quidem Leontinum, Isocratis magistrum, legimus, ad centesimum et septimum aetatis annum doctrinae studio nunquam abstinuisse. Isocrates autem, quem eloquentiae patrem Cicero appellare solitus est, sex et nonaginta annos natus orationem panegyricam scripsit, et ad nonum usque et nonagesimum, in quo e vita decessit, rhetoricam docuit. Carneades quoque, cum esset nonaginta annorum, non prius philosophandi, quam vivendi finem fecit. Quid vero Plato ille divinus, qui octogesimo aetatis anno, in scribendo defixus, mortuus est? De quo illud merito dixerim, quod Valerius Maximus de M. Varrone sene pronuntiavit; in eodem lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus, extinctus est. Neque minorem e doctrinae studio voluptatem perceperunt sanctissimi PP. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinns, aliique inter Graecos et Latinos sexcenti, qui in literis canescere ad summam senectutem, eundemque sibi vitae ac doctrinae terminum esse voluerunt. Silentio praetereo, ne in dicendo longior sim, innumeros fere recentioris memoriae viros, sapientia et eruditione clarissimos, qui nuper in Italia, in Germania, in Gallia, aliisque Europae regnis floruerunt: quos integram et bene longam aetatem in optimis studiis exegisse, plurima illa et immortalia, quae nobis reliquerunt, volumina satis superque testantur. Verum quid longinqua, aut externa conquirimus, cum domesticum nobis ante oculos clarissimumque hujus rei obversetur exemplum? Nemo vestrum ignorat, quot quantosque studiorum labores Benedictus XIV.

Pont. Max. jam inde ab adolescentia susceperit, et quantopere se in doctrinae studia ingurgitaverit. Ego quidem, ut verum fatear, hac de re olim minime mirabar pro eo, quo maxime pollet, ingenio, tum etiam, quod aetate tunc florens et virium robore firmior esset. Huc accedit, quod in ea studiorum genera incumbere deberet, quae munerum abs se susceptorum ratio postulare videbatur. At vero quid illi opus fuit, ut, ubi primo Anconitanus Episcopus, deinde Archiepiscopus Bononiensis renunciatus est, nihil omnino de iis, quae ad optimum Ecclesiae pastorem pertinent, omittens, se tantum sacris studiis daret, quantum plurima ejus volumina de Canonizatione Sanctorum recte instituenda, aliaque multa de Ecclesiasticis ritibus et institutis evulgata typis nos docent? Quid postea? Pontifex ipse Maximus factus, cum jam sextum supra sexagesimum ageret annum, Romanam Ecclesiam septem jam annos sapientissime gubernavit; at quanta interim, Deus immortalis, contentione, perpetuoque labore studiorum! Quem diem procul a libris studiisque traduxit immunem? Quot sanctiones Apostolicas, quot encyclicas epistolas, quot decreta suluberrima pro Ecclesiastica disciplina, aut restituenda, aut sarta tecta servanda, solus ipse unus commentatus est, ordinavit, perscripsit! Jam inde tot prodierunt volumina sacrae eruditionis et antiquitatis plena, ut non ab uno homine, summa jam senectute confecto, et infinitis prope Christianae rei publicae negotiis impedito, sed a multis potius, vel ab eo, qui viribus integer sit, et otio plurimo abundet, profecta esse videantur. Cum igitur sapientissimus Pontifex nullum alium sibi de Pontificatu fructum decerpserit, praeter ingens istud perpetuumque doctrinae studium: quis tandem non intelligit, quam magna sit ac paene incredibilis doctrinae ipsius voluptas, quam neque

annorum diuturnitas, neque imbecillitas senectutis, neque ipsa denique mentis lassitudo minuere potest? Ita est profecto. Dicam voce qua maxima potero: doctrinae studia nullum taedium, nullam afferunt satietatem; imo semper augetur inexplebilis eorum sitis et immensa cupiditas. Contra vero honores amplissimi, et suprema ipsa dominandi ratio, quam propter, si jus violari fas est, maxime violandum esse Julius Caesar affirmare ausus est, tot curas et angores animo creat, ut in omni fere aetate summi reges clarissimique imperatores, tranquillioris vitae causa, sese imperio abdicare non dubitaverint. Proinde mirandum non est, quod litterati hominis tranquillitatem et otium Augustus adeo cuperet, adeo doctis invideret, ut mallet inter eos privatum agere, quam orbi terrae universo imperitare.

Quae cum ita sint, jam satis intelligitis, sapientis vitam esse omnium longe felicissimam, eamque opibus, et triumphis, et gloriae summorum imperatorum jure et merito esse anteferendam. Exulant enim sapientis animo perturbationes ac vitiorum deterrimae pestes, quae mortalium felicitatem ac dulcissimam pacem usque quaque perturbant. O fortunatos nimium sapientes! O viros plane beatos, qui procul a caecis cupiditatibus, scelerumque tumultu, semoti, in placidissima vitae statione quiescunt! Quis tantam illis ac tam stabilem felicitatem non invideat? Quis eosdem sorte sua vere contentos esse non arbitretur? Utinam vobis, Adolescentes optimi, hoc ipsum unum beatissimae vitae genus experiri tandem aliquando liceat! Utinam vos diligenti intentoque doctrinae studio eo demum perveniatis, ut id, quod dicimus, re vera ita esse, intelligatis; nimirum inter varias et molestissimas hujus mundi curas, inter gravissimas humanae vitae sollicitudines, solum sapientem esse beatum! Dixi.

XIII

PAULINI A S. JOSEPHO
ORATIO
DE
PROBITATE
VIRO LITTERATO NECESSARIA.

Habita Romae Anno MDCCXLI.

Non immerito majores instituerunt, ut, qui oratoris personam pro dignitate sustinere vellet, is non ingenio tantum et dicendi copia valeret, sed vitae quoque integritate ac viri boni fama praestaret. Intelligebant enim viri sapientes, nihil fore privatis publicisque rebus eloquentiâ perniciosius, si illa homini nequam, tanquam latroni sica, concedatur. Et vero quod malum, aut quae calamitas hominum generi metuenda non esset, si dicendi facultas, maleficiorum terror et innocentiae praesidium, improbitatis fieret comes et scelerum ministra? Proinde M. Cato, vir prudentissimus, oratorem eum esse censuit, qui vir bonus esset et dicendi peritus; adeo ut prius ille haberet in oratore virum bonum esse, quam eloquentem. At Quinctilianus, quo nemo melius rectam oratoris institutionem expressit, eo usque in hujusmodi re progressus est, ut oratorem non modo virum bonum esse oportere contendat, sed ne futurum quidem

oratorem, nisi virum bonum. Cum enim omnis dicendi vis in hoc potissimum posita sit, ut audientium animos flectat, impellat, planeque persuadeat ea, quae bona et honesta sunt: quo pacto id faciat vir malus, qui in virtute atque honestate sibi minime constat? Aliud dicat profecto necesse est, quam sentiat. Prodit autem sese, quamvis sedulo custodiatur, diuturna vitae simulatio; nec erit ulla tanta eloquendi facultas, aut industria, cui non titubet atque haereat vox, si forte ab animo verba dissentiunt; adeoque aut vir probus, aut plane nullus existet orator. Ego vero quamquam semper in hac ipsa summorum virorum sententia fuerim; quanquam eloquentiae, quam rerum humanarum reginam Euripides appellabat, non invitus hanc tantam laudem tribuam, ut unus idemque animus, eadem mens eloquentiae sit ac virtutis: illud tamen mihi satis persuadere nequeo, eam vitae integritatem ac boni viri famam ita unius eloquentiae esse propriam, ut ad ceteras quoque honestissimas disciplinas non traducatur, eodemque jure ad singulas pertinere non debeat. Quasi vero minus oporteat virum probum existere, qui philosophus, aut qui medicus, aut qui theologi personam sustinet. Profecto aut ego nihil intelligo, aut omnes, quotquot sunt optimae artes, non minus quam eloquentia, arctissimam habent cum virtute necessitudinem; nec potest quispiam eas satis honeste colere, aut in illis quicquam proficere, nisi ad ingenii elegantiam et doctrinae copiam accedat quoque praeclara vitae commendatio. Quare omnino sic statuo, integritatem morum non ad unam eloquentiam, sed ad omnes singulasque disciplinas cum utilitate ac dignitate profitendas, esse maxime necessariam. Quo quidem argumento vix aliud quicquam ad bonarum artium laudem magnificentius fingi, aut excogitari posse existimo. Quid enim praestantius de liberalibus studiis

dici possit, quam ea esse per se arctissimis vinculis cum virtute conjuncta? Atque hinc etiam optimi adolescentes, quorum potissimum causa hodierno die haec oratio instituitur, facile intelligent, frustra se in litterarum studiis dies noctesque consumere, nisi pari voluntate eodemque studio et ingeniis excolendis, et moribus ad virtutem conformandis operam dederint.

Sed erit fortasse statim, qui complures in omni disciplinarum genere viros celebratissimos nobis objiciat, qui tamen nulla probitatis laude commendantur. Quot enim sive poetas, sive oratores primo Graecia, deinde Roma admirata est atque suspexit, quos tamen propter ebrietatem, aut libidinem, aut avaritiam pessime audivisse, memoriae proditum est? Profecto neque Demosthenem, neque M. Tullium, homines integerrimos fuisse, jure quis affirmaverit, cum ille auri cupiditate, hic nimio gloriae studio, et insano quodam maledicendi furore conflagraverit. Nemo tamen oratorem summum, maximumque ingenii quasi portentum, utrumque extitisse negaverit. Quemadmodum enim Demosthenes cum esset dicturus, e tota Graecia ad eum audiendum concursus fieri solebat, ut Plutarchus testatus est: ita Cicero tantum dicendo valuit, ut plures eum eloquentia victorias, quam Romanos armis, consequutum fuisse, Caesar assereret. Haeret hic animus, non est, quod dissimulem. At vero non desunt viri clarissimi, qui in ejusmodi vitiis tum Demosthenem, tum M. Tullium excusent; ut plura in eos ab inimicis conficta crimina, quam illi re vera admiserint, arbitrentur. Ego tamen libere dicam, quod sentio. Fuere in illis, negari non potest, vitia nonnulla: at virtutes quoque plurimae ac maximae, quae magno sui splendore fecerunt, ut vitia illa ex oculis hominum quasi evanescerent. Quanta enim fuit animi fortitudo atque constantia, qua alter saepe Philippi, potentissimi regis, conatus elusit, alter tum Catilinae conjurationi,

tum Clodiano furori sese opposuit! Quantus in utroque patriae libertatis amor! Quantum in liberis, focis, aris, fortunisque civium suorum defendendis studium, quo illi ad supremum usque spiritum inflammati fuerunt atque incensi! Itaque mirandum non est, quod aliquot vitiorum nubeculas tam eximiae splendidaeque virtutes luce sua obruerint, ac paene deleverint. Enim vero si quis nihilominus celeberrimum utrumque oratorem virum probum fuisse pernegaverit, non repugnabo. Fuerit quidem uterque vir malus: quid tum? Nonne miserrimus eorum finis, quo uterque vivere desiit, satis superque ostendit, eloquentiam in homine malo diu valere, diuque consistere non posse? Misere uterque periit; uterque dedit contaminatae eloquentiae gravissimas poenas. Illud sane est memoria dignum, quod C. Plinius junior ad Corelliam Hispullam, foeminam primariam, viro suo orbatam, scribit de eloquentiae magistro adolescentulo ejus filio perquirendo. Etenim cum illi Julium quendam Genitorem, hominem non minus integritate vitae et morum gravitate, quam dicendi facultate praeclarum praetulisset: huic, inquit, eum trade, Diis juvantibus, praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur! O dictum sapientiae plenum! O vocem vel Christiano homine dignam! Audierat nempe Plinius a Quinctiliano magistro id, quod antea diximus, non posse oratorem existere, nisi virum bonum; audierat, maxime referre in puero, ut is a praeceptore probitatem mature doceatur, sine qua vel nulla datur eloquentia, vel si qua forte datur, fit ipsi homini eloquenti, tum aliis quoque, pernicies summa atque calamitas. Quid vero dicam de tot non modo vetustiorum temporum, sed recentioris quoque aetatis clarissimis poetis, qui, quod ingenii elegantiam vivendi turpitudine aut loquendi licentia dehonestarent,

partim exilio, partim diuturno carcere, partim etiam capite debitas sceleris sui poenas persolverunt? Testes sunt Euripides, Nasones, Marini, Murtulae, Boccalini, aliique sexcenti, de quorum calamitate ac tristissimo vitae exitu annales loquuntur.

Quod si, poetis et oratoribus praetermissis, ad philosophos convertamur: quaenam, Deus immortalis, existit in tota rerum universitate hominum natio, cui magis, quam philosophis, a vitiis abesse procul et virtutem in sinu atque oculis ferre, consentaneum sit? Una semper fuit sapientum vox, Philosophiam esse honestatis, continentiae, fidei, justitiae ceterarumque virtutum parentem et magistram. Illam proinde M. Tullius humanae vitae ducem, virtutis indagatricem et expultricem vitiorum appellat, illam Plato donum et inventum Deorum immortalium, quo homini majus aut melius datum non fuerit. Quanquam enim a primis usque temporibus indagandae veritatis studium philosophos ipsos in sectas paene infinitas propagaverit, adeo ut M. Varro aetate sua ad ducentas supra octoginta numeraret: omnes tamen sive Stoici, sive Academici, sive Peripatetici, aut alio quovis nomine philosophi, mirifice consenserunt in iis, quae in honestate vitae et morum disciplina versantur. Una omnium fuit mens stabilisque sententia, pravas animi cupiditates coërcendas esse, ac virtutem rebus omnibus anteferendam. Itaque Plato pulcherrimae Illius rei publicae, quam ipse optimis legibus et institutis ad formam ceterarum sic effinxit, ut omnia in illa ad bene beateque vivendum conspirarent, non aliis magistratus et imperia destinavit, quam philosophis: quod hi nimirum, ut ipse ait, homines sint temperati, fortes, justi, magnanimi, omnique virtutum genere instructi. Atque hinc illud sapientissimi ejusdem philosophi apud omnes pervagatissimum, tum demum beatas fore civitates, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.

At, dicet quispiam, cur ergo philosophi e civitatibus fuere saepius ejecti? Unde tot absurdae distortaeque opiniones, ut, teste Varrone, nemo aegrotus quicquam tam infandum somniet, quod non dixerit aliquis philosophorum? Ita sane sit. Enim vero si qui sunt aut olim fuerunt philosophi, qui indignas homine voluptates, ut de Epicureis fama est, commendaverint; vel qui utile ab honesto sejunxerint; vel qui, Deorum immortalium sublato metu, in omne scelus iter patefecerint: hos ego vere philosophos fuisse pernego, sed Philosophiae probrum et sapientiae hostes improbissimos magna voce pronuncio. Spurios quidem et adulterinos philosophos vocabat Socrates homines ejusmodi, qui non sapientiam, cujus se falso amatores praedicant, sed temeritatem, non doctrinam, sed errorem pessime consectantur. In hunc profecto gregem conjiciendi sunt Pomponatius, Abailardus, Caesalpinus, Cremoninus, aliique complures, qui, vita moribusque corrupti, absurda quaedam et improba de immortalitate animorum ac de sanctissima nostra religione somniarunt, quique, praeter inanissimum Philosophiae nomen, nihil solidum, nihil Philosophiâ dignum posteritati reliquerunt.

Jam vero alio me vocant praestantissimae disciplinae, Jurisprudentia et Medicina, duo scilicet Romani hujus Gymnasii clarissima lumina. Quis autem statim non videt, quam innocenter integreque vivere debeant ii, qui alterutrius nobilissimae facultatis studium operamque suscipiunt? At nemo certe, nisi amens sit et omni ratione destitutus, fortunas, aut incolumitatem suam commissam velit homini, non dico nequam, sed de cujus probitate ac fide vel minimum suspicari quis possit. Actum esset de re publica, si hujus generis disciplinae, quibus et opes et communis salus continentur, perditorum hominum licentiae ac libidini traderentur. Et re vera quo pacto

sanctissimarum legum majestatem, quae virtuti praemia, flagitiis supplicia decernunt, tueri queat vir malus, scelerum suorum conscientia plane convictus? Qua fronte in aliis peccata reprehendet, in quibus ipse conscius et socius habetur? An promissa, pacta, conventa nobis servanda esse suadebit is, cui humana et divina jura pervertere jocus sit? Sed esto: perfrictae frontis homini id concedatur. Jurisprudentiam cum multis in rebus, tum in consultatione consiliisque dandis, plurimum valere certum est. Nemo enim temere, nulloque advocato consilio, tecta, penates, liberos ac dignitatem suam foro judiciorumque tempestati committit. Quis autem ignorat, quantam in consiliis vim habeat spectata virtus, fidei et religionis opinio? Omnes scilicet virtute, aut virtutis specie et opinione ducimur. Nulla vero in consilio inest vis atque auctoritas, ubi de consiliarii integritate ac virtute dubitari ullo modo possit. Quare Solon, vir sapientissimus, admonebat, ut non tam jurijurando quam probitati fides haberetur. In foro autem quis non videt, quantum valeant, praeter ingenium et doctrinam, splendor nominis, existimatio hominum et vitae praeclare actae dignitas? Contra vero saepe fit, ut nulla fides, etiam vera dicenti, habeatur, et talis advocatus videatur esse malae causae argumentum. Hinc Asinius Pollio, qui pro Urbiniae heredibus in forum venerat, statim ac Labienum, adversariorum patronum, aspexit, eam causam malam esse exclamavit, quod a Labieno defenderetur. Itaque non immerito Quinctilianus oratori, quem ad forum et judicia exercenda instituebat, Philosophiam moralem apprime necessariam esse asseverat; neque posse aliquem sine accurata morum disciplina fieri bonum utilemque causarum defensorem.

De medicina vero quid loquar? Satis est, Hippocratis libros vel leviter percurrisse, ut quis intel-

ligat, quam saepe et graviter vir sapientissimus Medicinam professuris inculcaverit religionem Deorum immortalium, honestatem vitae morumque integritatem. Nam praeter memorabilem illam de purgatione morali lucubrationem, in qua ipse non tam medici, quam philosophi moralis et viri sapientis munus sustinens, a medico pravos mores, avaritiae labem, et effraenatas animi cupiditates exulare jubet, quocirca neque Socrati, neque Platoni de sapientia quicquam concedere videtur: cui maximam admirationem non moveant ea, quae in libro de jurejurando memoriae tradidit? Mirum, quantum in eo pietatem et reverentiam erga Deos commendet Medicinae cultoribus, quibus mandat, ut, nisi divino numine invocato, in aegros curandos non ingrediantur. Quod quidem institutum utinam aetate quoque nostra teneretur: fortasse ipsi Medicinae magistri in tantis difficillimae artis tenebris nunc minus offenderent. Quoties autem vir magnus conditionem eorum, qui sese ad studium tam arduae scientiae daturi sunt, diligenter expendit: toties monet, una cum scientia praeclaros mores esse conjungendos. Habeant, inquit, doctrinam, bonos et generosos mores. Intelligebat enim vir prudentissimus, medicae facultatis, per quam homines, publicae salutis praesides constituti, ad Deos prope ipsos accedere videntur, dignitatem omnem esse interituram, nisi ad illam utendam homines probi ac bene morati admoverentur. Intelligebat, medici improbitatem nemini non fore periculosam, et magis, quam morbum, infestam ac metuendam. Verum quid vos diutius in re minime obscura detineo? Quasi vero, ut antea dixi, homines tam amentes aut oscitantes dari possint, ut, cum eorum agitur salus, ad alium, quam ad probum et praeclari nominis virum re ipsa confugiant.

Quid autem statuendum esse putatis de iis, qui

non humanae alicui facultati, sed omnium integerrimae ac divinae, Theologiae nomen dederunt? Eritne quisquam, qui dubitet, singularem animi probitatem ad virum theologum pertinere? Ego equidem sic existimo, neminem dici posse theologum, cujus vitae ratio theologo plane digna non sit. Profecto ipsum Theologiae nomen adeo per se sacrum et divinum est, ut quicquid, non dicam improbum et flagitiosum, sed humanae imbecillitati affine est, ab hujus scientiae cultoribus abhorrere prorsus videatur. Irridebat Cicero Epicurum, quod is temperantiam quidem laudaret, interim vero in voluptate, quae temperantiae inimica est, summum bonum collocaret. Quid si forte fieret, ut, qui serio perpetuoque agunt de Deo immortali, de virtutibus Christiano homine dignis, de felicitate sempiterna beatorum, et, si vis etiam, de poenis impiorum apud inferos praeparatis, de quibus omnibus persuasissimum nobis esse volunt, ipsi autem longe alias vivendi rationes sequerentur? Anne minus hujusmodi homines essent irridendi? Mores integri et incorrupti, Aristoteles inquit, fidem praecipuam faciunt: Qui aliter vivunt ac docent, hi profecto eorum similes esse videntur, qui agunt in scena, quique statim ac a scena ipsa recesserunt, nihil eorum curant, quae paulo ante summa voluptate curare videbantur. Ex istorum fortasse licentia permanavit in vulgus, eum religionem amittere, qui amicitias colit theologorum. O vox improba ac nefaria, quae crimen paucorum in universum theologorum sanctissimum coetum detorquet! Quot enim sunt ante oculos nostros in hac civitate clarissimi viri, qui non minus pietate et religione, quam theologicis studiis excellunt, quique integerrimae vitae ratione calumniam hujusmodi diluunt prorsus atque refutant! Enim vero ex hac ipsa vulgi opinione, qualiscunque demum ea sit, illud manifesto consequitur, rem absurdam et

incredibilem videri, aliquem posse sine splendore virtutis theologum existere, quod nimirum theologia et religio, religio et virtus, uno eodemque spiritu vivere videantur.

At vero quanti demum intersit ad omnes generatim disciplinas innocentia morum et virtus, ex iis, quae brevissime dicam, facile dignoscetis. Nemo in litteris tam hospes, aut tam parum exercitatus est, qui illud ignoret, ad praeclarum aliquem in bonis litteris progressum faciendum, praeter ingenii acumen et intelligendi solertiam, maxime requiri sedati placidique animi tranquillitatem. Experientia quippe docemur, si qua alia in re, tum praecipue in litterarum studiis, id quod Cicero longo rerum usu praeditus dicere solebat, turbatum animum non esse aptum ad exsequendum munus suum. Quae autem major, aut quae optimis studiis magis inimica animi perturbatio, quam quae a vitiis pravisque cupiditatibus ortum habet? Obruunt prorsus omnem ingenii vim ejusmodi motus; et alacritas illa mentis, quam litterarum studia deposcunt, in ea animi jactatione languet ac deficit. Atque hinc quemadmodum, qui infirma sunt oculorum acie, lucem solis intueri sine molestia haud possunt: ita, qui aegro animo sunt, ab studiis prope adhorrent, et litterarum genus omne fastidiunt, atque aversantur. Huc accedit, quod istiusmodi homines a litteratorum virorum societate atque ab omni cum illis amicitiae usu prohibeantur. Amant quidem homines eruditi familiaritatem et jucundissimos amicorum congressus. Illa enim sive ingeniorum sive studiorum similitudo facit, ut sese mutuo videre et alloqui gaudeant: ibi multa de optimis disciplinis, multa de rebus domi forisque praeclare gestis inter se loqui solent; atque ita molestissimas diei horas suavitate sermonis placidoque otio traducunt. Quis autem in hoc tali virorum coetu diu ferat hominem, liberalibus quidem

studiis excultum, sed morosum, sed iracundum, aut maledicum, qui ad omnia prope irascatur, qui de re publica, de principe, ac de religione quoque ipsa liberius imprudenterque eloquatur? Amicitia profecto a natura data est, non vitiorum illecebra et incitamentum (ut apud Ciceronem Laelius contendebat), sed comes et adjutrix virtutum; eique maximum ornamentum tollit, qui ex ea tollit id, quod rectum et honestum. Idcirco sapientes, nisi in bonis et honestis viris, amicitiam dari posse pernegarunt. Ego olim memini quosdam in hac Urbe literatos, homines re vera non mediocriter doctos, quorum tamen consuetudinem familiaritatemque plerique fugere et aversari solebant, non aliam sane ob causam, quam quod omnis litterarum res publica eorum supercilio niti videretur. Amabant omnes, quantum ego intelligebam, multiplicem eorum doctrinam rerumque maximarum, quibus illi instructi erant, scientiam; sed nemo aequo animo ferre poterat ipsorum vanitatem et arrogantiam, quod nimirum se solos doctrinae principes facerent, quod parem sibi neminem vellent, quod omnia denique ad libidinem suam vituperarent. Itaque viri prudentes satius esse putabant, milites illos Plautinos fugere, quam pati projectam eorum audaciam atque superbiam; quae plerumque causa est, cur tot clari litteratura viri omnibus despectui sint, et nullum eorum ingenia praemium, nullam dignitatem consequantur. Conqueruntur saepe multi de infelicitate litteratorum, etquotidiano fere sermone percrebuit, jam prope conclamatum esse de litteris; neminem hoc tempore, in Italia praesertim, existere, qui, ut olim, gratia, auctoritate, tum etiam opibus, litterarum studia foveat atque amplificet; principes quidem, alias bonarum artium cupidos studiorumque fautores, jam longe aliud moliri, et minime omnium de optimis disciplinis cogitare; adeoque cum Maece-

nates desint, mirum non esse, cur non dentur, ut poeta ait, Marones. Ego equidem nolo publicae hujusmodi querelae me opponere; nolo tam pervagatae opinioni repugnare: illud tamen dico, saepe litteratorum vitio fieri, ut nullum habeant litterae patrocinium. Quis enim domi alere, aut fortunis opibusque augere velit homines, certe quidem ingenio et eruditione praestantes, sed turbidos et ingratos (in quo sane vitio nihil mali non inest), tum etiam ad dissidia et rixas prope factos, qui dicacitate aut scribendi licentia nemini parcant? In domum recepit splendide satis ac liberaliter superiore memoria Carolus Emanuel, Sabaudiae dux, Jo. Baptistam Marinum, poetam ejus temporis celeberrimum, quem praeter alia beneficia, quibus illum large cumulavit, sanctorum quoque Mauritii et Lazari militari ornatu decoravit. Quid postea? Homo aeque imprudens ac beneficiorum omnium immemor, libellis quibusdam editis, tum aliis causis, ita optimi ac beneficentissimi principis animum offendit, ut, nisi mite illius ingenium et a caede hominum abhorrens obstitisset, Marinus temeritatis suae poenas capite persolvisset. Quid vero de Ioanne Ciampolo loquar? qui propter elegantiam ingenii et singularem eruditionem cum apud Urbanum VIII. Pont. Max. summo loco et gratia floreret, homo superbus et inflatus, nimia loquendi libertate carpendique vitio id effecit, ut a liberalissimo Pontifice tum ab aula, tum etiam ab Urbe, specie quadam honoris, dimoveretur; quem deinde, ut se revocaret, neque suis, neque amicorum precibus exorare unquam potuit. Dies me citius quam oratio deficiat, si plura id genus enumerare velim, quae apud Ioannem Pierium Valerianum, Cornelium Tollium atque alios extant de infelicitate litteratorum argumenta sane luculentissima, quibus liquido apparet, ingenium et doctrinam sine probitate pestem

hominibus calamitatemque importare. Non ergo errori hominum aut fortunae temeritati tribuendum, quod persaepe videamus, viris perexiguo ingenio et mediocri doctrina ornatis dignitates et honores amplissimos deferri; contra vero alios in oblivione jacere, qui, quod acriori essent iudicio et scientia ampliori abundarent, jam esse in vado et in portu navigare videbantur. Plus illorum profecto valuit doctrinae mediocritas, ab integris purisque moribus commendata, quam stulta et inanis istorum sapientia, qui sibi minus, quam aliis sapere didicerunt. Neque enim viri principes putant, rei publicae multum interesse eloquentiam, scientiam juris aliasque liberales disciplinas, nisi his quoque gravitas et honestas morum, vitaeque magistra prudentia accedant. Itaque M. Tullius, vir singulari consilio sapientiaque instructus, Marcum filium graviter admonuit, ut viri boni nomen prae ceteris rebus tueretur, atque illud commodis et fortunis omnibus anteferret. Non est, inquit, ulla res tanti, aut commodum ullum expetendum, ut viri boni et splendorem et nomen amittas. O praeclaram et admirandam hominis sapientissimi vocem! O divinum et salutare optimi parentis monitum! Non opes et fortunas, non fasces et imperia comparanda filio proponit; sed viri boni et honesti nomen. Utinam nostra quoque aetate parentes in liberos suos, egregia indole et ingenio ornatos, tam sapientes animi sensus infunderent! Utinam illos patria charitate monerent, ut honestatem et famam in oculis perpetuo ferant, nulla cum re commutandam: qua semel amissa, tum de ingenio, tum de omni doctrinae spe, actum esse intelligant. Quod si forte parentes caeco amore ducti liberos suos, non tam d virtutem et honestatem, quam ad opes et magitratus assequendos cohortantur: ad vos illud specta, clarissimi bonarum artium magistri, qui

parentum ipsorum vices auctoritatemque suscepistis. Vos, inquam, adolescentes ipsos, auditores vestros, pro dignitate vestra ac sapientia saepe commonere debetis, doctrinam sine virtute exitium fieri atque infortunium; frustra se Romae ab optimis studiis opes et honores quaerere, frustra principum virorum exspectare benevolentiam et gratiam, nisi praeclara vitae ratio scientiae ingenioque praeluceat; non esse Romae, quod quidam improbi dictitant, omnia exposita; et pecuniae magnitudine, aut potentis alicujus gratia, ad omnia aditum patefieri. Fuerint haec vitia temporum praeteritorum. Nostra quidem, tum superior aetas, eos vidit sanctissimos principes, qui non minus innocentiam vitae, qnam doctrinae praestantiam ante oculos habuerunt. Horum nemini profecto concedit BENEDICTUS XIV., optimus ac sapientissimus Pontifex; qui cum in omni vitae genere praeclarissimarum rerum scientiam cum maxima vitae honestate ac singulari virtute conjunxerit, non est dubitandum, quin hominum commendationem cum ab ingenio, tum a virtute ducat; atque eos prae ceteris maximis praemiis, honoribus ac beneficiis sit ornaturus, qui, ipsius non dissimiles, et doctrina et probitate praestabuut. Tam magnum et praeclarum summae auctoritatis exemplum cohortationibus vestris, optimi praeceptores, fidem et robur, idemque orationi meae terminum dabit. Dixi.

XIV

PAULINI A S. JOSEPHO
ORATIO
DE
USU ET NECESSITATE ELOQUENTIAE
IN FORO ET HODIERNIS JUDICIIS.

Habita Romae Anno MDCCXVII.

Mirantur nonnulli, quid causae sit, quod pro tanta eloquentiae dignitate tantisque professorum laboribus nequaquam satis multi adolescentes forti et magno animo inveniantur, qui ad pulcherrimam dicendi facultatem omnem vim ingenii omnemque industriam conferant. Verum meo judicio mirentur potius, si quem hoc tempore ad subsellia haec nostra accedentem, quam si aut a nobis abhorrentem aut ipsius eloquentiae studium tanquam leve ac minime fructuosum contemnentem videant. Nam ut omittam de ceteris causis dicere, nemo vestrûm ignorat, quaenam opinio his temporibus non apud barbaras gentes, sed in hac ipsa civitate, in urbe Roma de eloquentiae statu inveteravit. Percrebuit enim ore atque sermone omnium, eloquentiae usum prope omnem jam de medio esse sublatum; ejusque fines adeo anguste jam circumscribi, ut, si sacras conciones, quae ad

populum habentur, aut laudationes quasdam, quae ad Principes fiunt gratulandi causa vel in eorum funeribus exornandis, excipias, nullus amplior pateat locus, ubi ea satis valeat exspatiari. Dominabatur illa quidem olim in rostris, latissime regnabat in foro, eaque fere causa in disceptatione vincebat, quae patronum invenerat eloquentiorem. Nunc autem, immutata subselliorum forma, judicia hac nostra aetate ita exercentur, ut in eis nihil oratorum facultati tribuatur. Cum itaque ad forensem gloriam alius jam tenendus sit cursus, alia via; frustra adolescentes nostri, qui in hac civitate ad hanc tantam spem aluntur, frustra, inquam, diutius in hac palaestra versantur. Non est sane, cur hi summo studio tantisque vigiliis in eloquentissimorum oratorum lectione occupentur; nec laude digni, qui multum aetatis atque industriae in ea facultate sibi comparanda ponunt, cum qua nulla jam intercedit cum jure civili affinitas nullumque vinculum societatis. Haec fere sunt, P. C., ea, quae plerique de foro homines crebris solent usurpare sermonibus. Haec prope omnium adolescentium nostrorum de eloquentiae statu una vox atque sententia. Ego vero aut rudis omnino sum rerumque humanarum undique ignarus, aut istiusmodi opinionem inanem prorsus stultamque esse et haberi oportere, contendo. Nam esto, immutata sit vetus illa judiciorum ratio; esto, nunc causarum actiones contineantur domesticos intra parietes, neque eam populi frequentiam plausumque adsciscant, in quo oratorum studia maxime niti solebant: adhuc tamen in hoc ipso, quo nunc utimur, judicandi genere, dico, interdictam hodie foro non esse eloquentiam, sed in judiciis quoque nostrorum temporum suum esse eloquentiae usum, suam vim suamque, ut paucis dicam, necessitatem. Quod quidem totum etsi primo multis incredibile esse videatur, spero

tamen fore, ut hac ipsa re nihil verius, nihil rationi magis consentaneum esse intelligant. Cum autem in eo orationis genere versemur, in quo de dignitate Romani fori, de liberorum vestrorum gloria maximisque utilitatibus agitur, profecto dubitare non possum, quin me hodierno die attente libentissimeque audiatis.

Quoties autem mecum ipse cogito, quam libere nonnulli confidenterque dicant, nostris hisce tempoporibus ad forum accomodari nequaquam posse eloquentiam, toties sic mecum statuo, aut hos temere damnare, quod minus intelligunt (qua re nihil turpius, nihil impudentius), aut eos prorsus, in quo sita sit eloquentia, non internoscere. Putant fortasse, cum eloquentiam audiunt, facultatem dici, quae quamlibet in partem arbitratu suo ac libidine audientium animos flectat et circumducat, quaeque ita sit acris, ita vehemens in dicendo, ut non tam verba et sententias fundere, quam tela et fulmina undequaque vibrare videatur, quemadmodum de Pericle illo Atheniensi veteres Comici tradiderunt. Cogitant, puto, oratores homines turbulentos et quasi lymphatos, qui in id maxime incumbant, ut precibus, clamoribus atque ejulatibus turbas excitent ac tragoedias. Id demum opinantur, omnem dicendi vim usque adeo in concitandis affectibus esse repositam, ut, iis sublatis, eloquentia statim concidat atque intereat prorsus. Enimvero errant, et vehementer quidem errant ejusmodi homines; nec quicquam recte judicant de eloquentia. Tantum enim abest, ut in excitandis animorum motibus maxime vel solum occupari debeat orator, ut contrarium potius, si praesertim de eloquentia, quae ad forum pertinet, res agatur, et senserint et palam docuerint homines sapientissimi, iidemque in arte dicendi peritissimi. Nam ut omittatis recordari, quid olim hac de re gravissimus Areopagitarum senatus decreverit, qui semper ab hujusmodi lenociniis

sic abhorruit, ut ne judices aut dicentis aspectu aut actione moverentur, sed unas rationes et unum jus aequitatis attenderent, eum in tenebris audire voluerint; difficile sane non erit assequi, in hac ipsa opinione fuisse Socratem, Platonem, Aristotelem aliosque plurimos. Et quidem Socrates ipse cum summo capitis discrimine reus ageretur, suamque causam sic jam egisset, ut aliud nihil expectasses, quam quod judices ad misericordiam dicendo commoveret; noluit tamen eorum clementiam implorare, noluit lacrymas adhibere, noluit uxorem, liberos, amicos sordidatos producere: sed maluit honeste mori, quam gemitu ejulatuque muliebri vitam turpiter deprecari. Plato autem, Socraticae doctrinae cultor optimus et propugnator acerrimus, quam severe, quam graviter eos saepe reprehendit oratores, qui parum de veritate solliciti judicum animos, admotis veluti machinis, blanditiis emollirent, et a judicii severitate, cui sese jurejurando obstrinxerant, ad lenitatem et misericordiam impellerent! Quid demum Aristoteles, qui, cum tam multa eleganter ornateque de oratoria facultate conscripserit, ejusmodi animorum motus non modo non probavit, sed eos quoque gravissime maledictis insectatus est quasi labem et nefariam judiciorum pestem? Et quidem si judicem pecunia corrumpi, nemo unquam, nisi forte improbus, praeclarum duxerit: quis laudaverit artificio quodam judicem ipsum depravari longeque a recta ratione deduci? Videant ergo, quam facile decipiantur, qui putant, animorum concitandorum vi sublata eloquentiam nullo modo posse consistere. Quod igitur isthaec judiciorum consuetudo neque populi studia, neque judicum iram aut misericordiam admittat, sed summam animi aequitatem summamque placabilitatem et quasi veterem illam Stoicorum ἀπάθειαν postulare videatur, non continuo eloquentiam foro

exulare optimo jure quis dixerit. Aliud est profecto, pugnacem illam et contentiosam dicendi rationem, quae ad permovendos animos maxime valet, inveterasse; aliud vero, e judiciis, quae modo fiunt, omnem eloquentiae usum fuisse sublatum. Quis enim nobis nunc recte pronuntiaverit fuisse vestibus interdictum, quod nemo praetexta, aut toga, vel sago prisco more induatur? Praeterquam quod hac ipsa aetate ἀπάθειαν istam in foro regnare minime video. Imo a plerisque summis causarum patronis animadverti calliditatis plurimum et industriae ad commovendas judicum mentes haud raro usurpari. Quorsum enim spectant illae de adversariorum fraudibus querimoniae? Quorsum tam multi de mala ipsorum fide clamores? Cur judices tam enixe orant atque obtestantur, ut honestissimae familiae, de qua res est, rationem habeant, ut domus paupertatem, ut rei familiaris angustiam, ut liberorum multitudinem, ut duriorem fortunam et iniquissimam conditionem mature cogitent atque perpendant? Non haec praecipua animorum concitandorum ratio? Non hinc locus patet, ubi magna vis eloquentiae versetur? Age porro, conticuit Romanum forum, multaque ex parte florentissima oratorum gloria obsolevit vetustate ac vicissitudine temporum: non ita tamen obsolevit, ut maximam adhuc partem sibi in jure dicundo non vindicet.

Sed antequam rem propius attingamus, alteram mihi video convellendam esse opinionem, falsam quidem non minus et absurdam, quae tamen multorum studia longe a nobis abducit. Putant nonnulli, hominem eloquentem eum tandem esse ac dici debere, qui plena ac perenni quasi flumen oratione redundat; eumque ad Demosthenem aut M. Tullium proxime accedere, qui ceteris hominibus verborum pompa et sermonis granditate antecellit. At vero quis tam rudis ingenio, aut in litteris tam novus, qui non

intelligat, plura quidem esse dicendi genera, et ad Rhetoricae facultatem orationem amplam et copiosam non magis quam pressam et modice temperatam pertinere? Alioquin neque Isocrates neque Plato in amplissimum oratorum ordinem cooptarentur, quod eorum oratio, ut Cicero animadvertit, mollis erat ac temperata, nihil iratum habens, nihil invidum, nihil atrox, nihil inflatum et grandiloquum, sed casta et verecunda quasi virgo. Illum itaque dicendi arte praestantem voco, qui bene, id est, qui luculenter ornateque orationem tum ad res, tum ad personas, tum etiam ad tempora satis accomomodatam adhibeat. Sit robustum dicendi genus, sit gracile, si mavis, atque exile, non impedio. Mirum profecto, quam varia et multiplex sit eloquentia. Quemadmodum in infinita hominum multitudine unum alteri ore ac vultu ceterisque lineamentis persimilem omnino non videas: ita ne duo quidem oratores, eodem prorsus inter se stilo eademque dicendi forma, conveniunt. Alter quidem acuto ac subtili magis quam amplo ac vehementi delectatur; alter gravis incedit et majestate verborum et dignitate sententiarum, alii vero ita medium tenuere, ut voluerint illis quidem ornatiores, his autem submissiores videri; ut propterea, si vera fateri volumus, quot fuerunt olim viri eloquentiae splendore clarissimi, totidem plane dicendi formas expresserint. Quid? quod alias atque alias scribendi rationes et multiplices prope dicam ipsius eloquentiae facies in uno eodemque homine intueri fas est? Quanta enim mehercule in uno M. Tullio dicendi varietas! Quam amplum et multiplex scribendi genus! Modo humile ac mediocre, modo angustum atque excelsum videas; jam asperum atque acerbum, jam suave ac lene fluens, ut nimirum et locus et tempus, aut res postulare videbantur. Cum enim sapientissimus atque immortalis vir nunc in foro, nunc in curia diceret,

et jam oratorem, jam philosophum, jam vero consulem, aut imperatorem tutoremque rei publicae ageret, ita opportune loco ac tempori orationem accomodabat, seque ad rerum dicendarum formas ita traducere solebat, ut grandia elate ac magnifice, media temperate ac mediocriter, parva tenuiter pertractaret.

Quae cum ita sint, quid est, quod rabulae quidam de foro jus civile cum eloquentia jam pridem divortium fecisse contendant? An quod praesens judiciorum status ubertatem illam orationis et dicendi ornamenta non recipit, sed sincerum potius, lene ac temperatum loquendi genus, proscribendane erit continuo atque e foro exterminanda dicendi facultas? Quasi vero, sublata veteri forensium actionum forma, omnis pariter suadendi ratio e judiciis sublata esse videatur. Quo pacto autem sperant homines peracuti, se quicquam de jure recte statuere ac judicibus persuadere posse, si ejus facultatis praesidio careant, quae una suadendi vim praecipue nervosque ministrat? Ego sane nihil video a recta ratione magis alienum, quodque magis consilio repugnet.

Ut causae fidem, inquiunt, dicendo facias, et non opinione solum, sed etiam ad veritatem judicibus persuadeas, non praecepta rhetorum, aut eloquentiae myrothecia, sed juris adeundi sunt fontes et peritissimi legum interpretes consulendi. Ita profecto. Ecce tibi ante oculos immensa rerum ac verborum copia ex iis, quae causae maxime favere videntur. Sexcenta habes tum ex Romano, tum ex Pontificio, tum etiam ex statutario jure argumenta, quae in medium afferas. Quin etiam innumeri doctores et legum interpretes, tot controversiarum et consiliorum scriptores praebent tibi ad scribendum segetem uberrimam atque amplissimam. Quis vero Oedipus, aut quod tibi de caelo numen affulgebit, ne tanta ac

tam varia rerum multitudine obrutus de charta in papyrum scribas (verba sunt eruditissimi Polyhistoris Germani) inepta, futilia, supervacanea, thesin ipsam vel parum, vel nihil attingentia? Ita enim moris est vulgo, inquit, apud jurisconsultos. Quis, inquam, te doceat singula loco suo scite disponere, et communes argumentorum locos industria quadam rectoque ordine pertractare, ut perspicue et ornate, tum etiam breviter, quae ad causam pertinentia sunt, explices atque expedias? Quotidianus, opinor, usus exercitatioque forensis. Itane vero? Sed unde fieri dicendum est, quod homines aetate jam matura et in foro exercitati quam qui maxime, praepostere tamen ac perverse sine ordine ac sine delectu de jure scribant? Quid causae tandem est, quod in tanta exercitatione usuque forensi nihil aliud praeter putidos et male sutos centones farciant, qui viris doctis et eruditis stomachum movent? Nonne quia illotis, ut ajunt, manibus ad sacrosanctas, quas ipsi vocant, leges pertractandas ausi sint accedere? Nonne quia bonarum artium et eloquentiae adjumenta non habent, unde orationis filum apte pertexere valeant? Equidem negari non potest, elegantiorum litterarum studia opimum esse fundum, cui inaedificari debet omnis civilis prudentiae doctrina: quo qui careant, nunquam veram forensium laborum gloriam assequentur. Accipite quaeso testimonium non causidici alicujus de trivio, sed viri doctissimi et de omni juris scientia optime meriti, Hugonis Grotii, qui Gallos, ad quos disertissimam scribit epistolam, ita graviter admonet. „Jureconsulti munus, inquit, virum magnum non faciet, nisi eloquentia accedat.“ Equidem magno sui experimento didicerat homo in jurisprudentia maxime exercitatus, quantum ab eloquentia ceterisque bonis artibus praesidii habeant, qui in foro aliqua cum laude versari cupiunt, cum ipse non alia ratione in iis,

quae de jure belli et pacis elegantissime tradidit, veterum jureconsultorum in dicendo gloriam aequaverit.

Age vero, homines plerique de foro ita ingenio ac judicio polleant, ut, inutilibus amputatis, non modo, quae solida sunt atque optima, consectentur, sed singula quoque in ordinem digerant ac satis bene disponant. Video, me plus nimio de meo jure concedere. Fac tamen, ita esse omnino. An propterea ob ejusmodi ingenii vim eloquentiae studia ad forum minus pertinere censenda erunt? Quid enim ista non inelegans dispositio atque ordo, si praeterea nullus adsit verborum delectus, nulla elegantia vocum, nulla denique germanae latinitatis imago? Poteritne mehercule ejusmodi lectio mulcere legentium animos et suavitate aliqua allicere, ut attente libentique animo, tota quanta est, perlegatur? Lectio enim, ut optime ait Cicero, sine delectatione negligitur. Quid si lectio bene longa, aut de rebus per se injucundis, vel etiam subtilibus et obscuris? Tunc sane dilucidam puramque dictionem, quae rebus istiusmodi lucem afferat, nemo non videt maxime fore necessariam. Cum igitur delectus ille et cura verborum, unde recte Caesar eloquentiam originem suam ducere affirmabat, ad eloquentiam ipsam jure suo pertineat; nemo profecto studiorum hujus generis expers ea seligere poterit, quae obscuriora illustrent, et insuavia ac molesta jucunditate quadam ac sapore perfundant. Non est itaque, cur miremur, si homines forenses, qui haec nostra studia aversantur, aliquando tam obscure scribant, ut Chrysippum illum aemulari videantur, cujus integrum volumen ambiguis oraculis ac flexiloquis ambagibus sic refertum dicitur, ut ad illud enotandum novo semper opus esset interprete. Nam quod Cicero olim semel ingenii solertia vel malitia potius in Cluentiana causa se fecisse gloriatus est, obscurasse videlicet dicendo judicum mentes: illi

quotidie ignorantia faciunt, quod se nempe dictio nitida ac sincera deficiat, qua animi sensus et cogitationes suas explicare commode valeant. Cum enim ex Aristotele prima eloquentiae virtus sit elocutio pura ac venusta, quae facit, ut oratio nihil barbarum, nihil insolens, aut peregrinum habeat, sed omnia singularum vocum elegantia earumque strustura et collocatione optime inter se cohaereant; non video, quo pacto queant luculente scribere, qui elocutionis ipsius vim et praecepta prorsus ignorant. Hinc barbarae illae et nunquam apud latinos auditae locutiones, quibus quasi quodam humanitatis sale homines plane insulsi scriptiones suas condire sibi videntur Quae ut percipiantur, non satis est habere prae oculis glossaria universa, quae de barbaris vocibus magno studio collegerunt Fridericus Lindenbrogius, Henricus Spelmannus, Gothofredus Wendelinus, Gerh. Jo. Vossius, Carolus de Fresne aliique plures. Unde vero istiusmodi coenum ac sordes homines festivi colligere poterunt? An ex purissimis veterum Jureconsultorum monumentis? An ex ipsis Justiniani institutis? An ex codice Theodosiano? Credo fortasse ex Novellis, ex Authenticis, aut Pandectis. Quam vellem clarissima ejusmodi exempla sibi ob oculos ponerent? Id quod superiori aetate summa laude fecerunt Guilielmus Budaeus, Antonius Faber, Jacobus Cujacius, Franciscus Balduinus, Jacobus Gothofredus, Franciscus Duarenus aliique sapientissimi viri, qui cum civili scientia elegantiores litteras et eloquentiam optime conjunxerunt. Quorum profecto volumina eam redolent scribendi castitatem atque elegantiam, ut, si forte, quae de rhetorica facultate Aristoteles, aut quos de Oratore libros Cicero memoriae prodidit, nobis fato aliquo interiissent, ex ipsis mehercule eloquentissimis viris haberemus, unde suppleri possent eloquentiae praecepta et omnis

dicendi venustas. Cur ergo, quos habent duces et optimos scribendi magistros, presso pede non insequuntur? Cur singularis eorum sapientiae vestigiis non insistunt? Pudetne sequi Fabros et Cujacios, barbaros vero et imperitos, qui eruditorum omnium convicio vapulant, sequi non pudet?

At enim jureconsulti, quos mihi praedicas, sapientes quidem ac diserti, non e foro, sed ex Academiae spatiis extiterunt. Versabantur illi in eruditorum umbraculis ac Lycei otio, ubi satis commode potuerunt jus, de quo quasi domestica exercitatione in Gymnasiis disceptabant, aspergere doctrinae floribus et eloquentiae pigmentis colorare. Nobis autem quotidie descendendum in medium agmen, in pulverem, in clamorem atque aciem forensem, ubi sane non pulchre cultis et affabre elaboratis, sed bene solidis armis pugnandum est. O praeclaram pugnam! O certamen cruentum! in quo, ut video, adversarii suis se miserrime telis confodiunt. Etenim satis intelligo, magnum interesse discrimen inter sapientissimos viros, quos causa honoris paulo ante nominavi, et homines nostros, qui hodie in foro cum aliqua nominis fama versantur. Enimvero duo sunt omnino, in quibus eorum eloquentiam imitari et ad illam proxime accedere, e praesenti more usuque fori tenentur: in scribendo scilicet et causam ad judices referendo. Ad utrumque hoc munus certe ingenium, humanitatis studiis perpolitum et dicendi exercitatione bene subactum deposci, quis non intelligit? Ut proinde ex immutato pristino judiciorum statu, unde eloquentiam foro ejectam plerique argumentari solent, ego contra pro hac ipsa, qua nunc utimur, forensi consuetudine, maximam ipsius eloquentiae necessitatem statui debere contendo. Nam agebantur olim causae summo apparatu maximoque splendore. Victoriam sibi magna ex parte vindicabant tum patroni

eloquentia, tum populi Romani studium, qui judiciis maxima frequentia adesse et aequitatis patrocinium quodammodo arripere solebat. Huc accedebat ejus, de quo erat jure decernendnm, praesentia atque aspectus; uxoris lacrymae; gemitus filiorum, amicorum officia et preces, spectata erga rem publicam merita, postremo judicum pietas et commiseratio. Quid vero perorantis vox atqne actio? Quae profecto sic valet ad mentes hominum permovendas, ut fama sit Demosthenem ei primas, eidem secundas, ac tertias tribuisse. Certe Cicero hanc ipsam unam in dicendo maxime dominari affirmabat. Cum igitur haec omnia jam e foro desciverint, quid aliud misero clienti ad salutem remanet praeter unam scriptionem, juris quasi naufragii tabulam? Quae quidem si obscura, ut difficilis sit explicatu: si ieiuna atque agrestis, ut legenti nausea fiat, nonne de omni causa actum esse dicemus? Continetur nunc tota quanta est causarum actio unius hominis diligentiâ atque industriâ: qui nisi in scribendo singula ad rem pertinentia in bono lumine collocaverit; nisi facti et juris nervos artusque optime disposuerit, verendum est sane, ne ejusmodi causa non praeclaros exitus habeat. Et negare quis poterit non majorem nunc, quam olim in foro oratoriae facultatis usum esse ac plane necessitatem?

Alterum vero, in quo eloquentiae studium, ut dixi, nostris hisce temporibus homini forensi majorem in modum necessarium esse judico, est nimirum causam ad judices referendi consuetudo. Qua quidem in re mirum, quantum valeat dicendi venustas et eloquentiae praesidium. Etenim sive latino sermone sive domestica atque vernacula lingua (eodem quippe res recidit), id fiat, talis quidem esse debet doctoris industria, ut verbis quam paucissimis rem doceat, persuadeat, flectat et jam quodammodo vincat. Quod

negotium permagnum sane atque arduum qui suscipit, non temere et casu, sed meditatus et ex arte dicat necesse est: ea videlicet perspicuitate, ut rem omnem aperiat atque illustret; iis verbis puris atque electis, ut, si dicendo non delectet, at certe animos non offendat; ea denique brevitate orationis, ut judices, homines vel maxime occupati, longo dicendi ambitu minus defatigentur, argumenti tamen vis tota eorum mentibus haereat penitus atque insideat. Has autem singulas oratoris partes qui non satis apte accurateque expleverit, hunc profecto muneri suo deesse judico; et nihil dubito, quin is causa, etsi optima illa sit, turpiter cadat. Quod si nonnulli naturali quadam dicendi copia, nullo adhibito studio, id satis praestant; hoc, praeterquam quod non est multis natura datum, sed quasi privilegium et singulare paucorum donum, id praeterea eloquentiam fori non amolitur, sed ejus necessitatem luculento admodum hoc ipso exemplo confirmat. Huc quoque accedit, orationis vim ejusmodi insitam et a natura profectam tautologiis plerumque aliisque sermonis scatere vitiis, quae nisi ars dicendi opportune amputaverit, ea offendit plurimum ac molestissima esse solet.

Superest jam, ut quam brevissime eorum refutemus errorem, qui, etsi studia haec nostra vituperare non audent, imo ea palam laudant atque extollunt, negant tamen posse fieri, ut unus idemque homo simul praestet et dicendi genere et civilis scientiae doctrina; cum res utraque magnam vim ingenii, multas vigilias maximosque procul dubio labores requirat: nisi forte velit vel paucissimas causas suscipere et perraro ad forum accedere, vel, quod longe deterius est, in jure discutiendo segnior ac remissior videri. Profecto homines isti, si haec de se suique ingenii imbecillitate loquantur, bene habet

non repugno. Norunt ipsi, ut poeta inquit, quam sibi curta supellex. At vero si ex suis viribus alios aestimare, atque omnes ex ingenii sui modulo metiri velint, ferendi nullo modo sunt, imo graviter reprehendendi. Nam quae, malum, amentia est ista, quod se praestare posse diffidunt, id universe ab nemine alio fieri posse contendere? Quis aequo animo ferat homines imperitos, qui eloquentiam ne de facie quidem noverint, quique, ut lepide Budaeus ait, albane, an atra sit, dijudicare nequeant, negare tamen pugnacissime, ipsam cum jure civili posse conjungi, quocum conjunctissima semper fuit? At magno opus est ad eloquentiam ingenio, magno conatu, summis viribus. Esto: concedatur quidem difficillima esse, quae pulchra et admodum ardua, quae optima. Verum si id, quod est, fateri volumus, ejusmodi labor iis plane summus ac prope intolerabilis, qui cruda adhuc studia ad forum attulerint, et humanioribus litteris vix leviter informati ad juris lauream aspiraverint. Qui vero ex humanitatis studiis solidam sibi eruditionem praeoccupaverint, et apparatum elocutionis uberem satis et luculentum tempestive collegerint, nae ego amens, si in causis defendendis herculeo isto sudore manaverint. Imo nullus dubito, quin ipsi promte atque expedite de jure scribant, quemadmodum in ceteris argumentis hominibus, in iis studiis exercitatis, usu venit.

Sed plura jam fortasse, quam volebam, de re minime obscura. Quis enim non videt, istorum opinionem satis superque refutari exemplo domestico complurium clarissimorum virorum, qui in hac ipsa civitate a pueritia hoc consilium sequuti disputationes forenses cum expedite, tum ornate ac docte pertractant, ut non minus eloquentiae vi, quam juris telo pugnare ac vincere videantur. Horum sane auctoritas in hac Urbe quam maxime invaluit, non quod juris

scientia ceteris longe praestent, ut sibi falso persuadent plurimi, sed quod dicendi copia et facultate ceteros antecellant. Quo fit, ut ipsos magna clientum caterva stipatos huc illuc quotidie volitare videamus, et pecunias et opes et amicitias sibi praeclaras comparare. Possem hic multos nominatim proferre ex iis, qui hodie in foro familiam ducunt, quique hoc industriae genere ceteros sui aequales longo post se intervallo reliquerunt. At nolo aliquem nominare, ne aut cuiquam adulari, aut, si non omnes, ut par est, laudavero, debita laudatione quemquam fraudasse videar. Sed praestat id tacitis vestris cogitationibus existimandum relinquere, de quibus hanc tantam laudem intelligi cupiam. Neque enim facile latere possunt, si velint, cum sint in oculis totius civitatis atque eorum fama omnium sermone celebretur. Horum dignitate atque opibus mirum profecto alios ad haec ipsa studia non incitari atque accendi: quemadmodum fama est, Miltiadis tropaea Themistoclis animum ita inflammasse, ut vel quiescentem e somno excitare solerent. Atqui isti duro ore possunt quotidie non unius, sed multorum praeclaras in foro victorias et tropaea oscitantes intueri. O singularem stuporem! O stultitiam incredibilem!

At magnam quidem vim esse in fortuna aliqui putant, et inanis ejusdem numinis arbitrio illud fieri, ut aliquando etiam in foro primos ordines ducant, qui eorum opinione inter gregarios milites deberent incedere. Alii vero ingenio, ut sibi persuadent, altiores caelum ipsum, ut poeta inquit, stultitia petunt, et arcanas nescio quas siderum coitiones hariolantes, clarissimorum virorum praestantiam non labore atque industria, sed stellarum benignitate derivari et quodammodo donari volunt. At mehercule illi non minus, quam fortuna ipsa, caeci esse videntur, quod non videant, sapientia et consilio fieri, quod ipsi casu

contingere putant: hi vero malitiosi atque improbi, quod ad ignaviam suam excusandam de summorum virorum gloria plurimum detrahant, astrorum virtuti et efficacitati tribuentes, quod illi revera sibimet bonarum artium studio, multis vigiliis maximisque laboribus compararunt.

Quae cum ita se habeant, ecquis est, qui non intelligat, quam utile, quam fructuosum, unoque verbo, quam necessarium sit eloquentiae studium iis, qui id temporis in foro aliqua cum laude versari volunt? Non ejecta est, non exsulavit foro, ut barbari homines obloquuntur, amplissima dicendi facultas. At quamdiu Romae tribunalia patere, et tum publica tum privata judicia fieri contigerit, quamdiu causas de criminibus agitari, et homines in jus vocari atque defendi, tamdiu illa pristino suo jure uti atque in subselliis ut olim regnare videbitur. Desinant ergo, desinant optimarum artium contemtores, eloquentiae gloriam insolenter traducere: comprimant aliquando voces, obtrectationis et invidentiae plenas. Plus satis jam palam est, eloquentiam ad forensem dignitatem hac nostra aetate esse vel maxime necessariam. Etsi, age, pergant, dum volent, de foro rabulae honestissimas disciplinas maledictis incessere. Clamitent boni viri, inter eloquentiam ipsam et juris scientiam nullum interesse commercium, nullum vinculum societatis. Suadeant, quantum valent, ab ejusmodi studiis nullum esse exspectandum emolumentum, nullas opes, nullum decus: omnem ipsis obtrectandi licentiam damus. Neque enim veremur, ut quisquam tam hebes ingenio aut natura tam amens existat, qui ab istorum dicacitate ieiunisque argumentis sese unquam ab eloquentiae studio dimoveri patiatur. DIXI.

XV

FRANCISCI BENCII

ORATIO

Cur adolescentes aliquot in dicendi studio minus proficiant.

Quod apud M. Ciceronem L. Crassus, praestanti vir ingenio summaque eloquentia, accidere sibi testatus est, ut exalbesceret in principiis dicendi et tota mente atque omnibus artubus contremisceret, idem mihi, haud paulo minori oratori, singulis annis initio docendi usu venire haud paulo majore de causa intelligo. Neque vero tantum meus illinc existit timor, quod qui has artes profitentur, in quibus vos me Patres religiosissimi jam dudum esse voluistis, fere omnium maxime subeunt dimicationem doctrinae atque ingenii, nisi satisfaciant statim animis audientium, cum ceteri paratam habeant et quasi legitimam excusationem, sed multo magis, quod propter solemnes ferias, quibus intermissae sunt quotidianae disputationes, si qua in me fuit umquam facultas orationis, quae scio quam fuerit semper exigua, eam ita sentio exaruisse, ut, cum effluxisse verba, excidisse sententias, memoriam defecisse animadvertam, vix brevem quemdam et simplicem a me pertexi posse sermonem et experiar et ingemiscam: sic ut, quemadmodum fistulae, quae diu interclusae fuerunt aut interceptae, cum primum liberum nactae sunt exitum

ac late patentem, turbidiores aquas emittunt, sic etiam ex eo, qui diu intermiserit usum dicendi, non ita pura et liquida, sed inquinatior quodammodo ac corruptior fluere videatur oratio. Pericles quidem ille, praeclaram cujus eloquentiam, eloquentium illa parens et nutrix, urbs Athenarum prae ceteris admirata esse dicitur, antequam quicquam ageret cum populo, comprecabatur deos, ut ne verbum ullum, quod ad rem accomodatum non videretur, ex ore excidere paterentur: usque eo coronae judicium reformidabat. Quo major ac diligentior esse debet eorum cautio, qui docent artem dicendi, ut ne in eo ipso peccent, cujus scientiam se tradituros aliis pollicentur. Sunt ista, cum in me ipse intueor, auditores: sed tamen cum de vobis cogito, adolescentes optimi, quos arbitror ex superiore scholarum vacatione ad earum instaurationem exarsisse vehementius, facile mihi persuadeo futurum, ut, quemadmodum fames, ut est in veteri proverbio, commendat opsonium, ita etiam vestra audiendi aviditas, diuturna quasi inedia collecta, meam qualemcumque absorbeat ac devoret orationem. Misit ad Alexandrum Ada Cariae regina varii generis epulas exquisite conditas, una cum coquis taliumque condimentorum artificibus: cui tamen ipse multo sibi meliores coquos esse respondit: ad prandium quidem nocturnum iter, ad coenam prandii tenuitatem; homini nempe esurienti ac sitienti, etiam quae subamara sunt et austera, grata esse et dulcia videntur. Audite vos igitur, qui huc avidi hodie venistis, audite inquam me, utilia quaedam potius ac salutaria, quam jucunda et suavia, fundentem: malo enim inhaerere in animis vestris res quae dicuntur, cum honesta recordatione, quam praeterfluere aures, cum inani strepitu sonoque verborum. Respondebo videlicet, ut ne in ullum incidam superiorum praefationum argumentum, veteri multorum expostu-

lationi, quaerentium, quid causae sit, cur, cum aliquot adolescentes, qui ingenio pollent et, ut ipsi dictitant, flagrant studio dicendi, Rhetoricae studeant, pauci tamen ex iis exoriantur, qui orationem explicent paulo tolerabiliorem. Nullam repetam ex iis causis, quae ab aliis afferuntur, ne videar aut nihil habuisse quod dicerem, aut statuisse, nihil excogitari posse quod praeterea diceretur; duas solum proferam easque non tam ex ingenio aut ex conjectura, quam ex longo quodam usu et quotidiana multorum annorum animadversione depromptas: quae si alicui commenticiae fortasse aut leves videbuntur, nihil repugno, quo minus vanus ego ipse et falsus appeller: sin verae esse et graves, uti sunt, reperientur, vestrum erit, quod reprehendetis in aliis, illud ipsum in vobis jure ne reprehendi possit, providere. Duas igitur, ut nunc est, reperiebam causas, cur, cum aliquot praeclari adolescentes sequi se dicant laudem dicendi, pauci tamen quod volunt assequantur: unam quidem, quod non propositam in animo suo habent perfectam quandam speciem formamque oratoris, minime invidendâ, ut ipsi loquuntur, et ea, quae satis esse possit, mediocritate contenti: alteram vero, quod non totos se dedunt Rhetorices exercitationi, sed eam quoque existimant facile cum aliis disciplinis et artibus posse conjungi; ex quo fit, ut et illi excellentes esse nolint, et isti non possint. Nolite quaeso, auditores, cum haec a me disputabuntur, subjicere cogitationi vestrae aliquem, cui vel ob hanc vel ob illam causam non contigerit eloquentia, ne quem videamur oratione nostra perstrinxisse; ego enim neminem notabo, afferam tantum rationes nonnullas, ex quibus vos pro vestra sapientia utramque rem existimare momentoque suo ponderare possitis. Dicamus, si placet, de iis primum, qui aut humilitate animi, aut, ut vobis videri posset, laboris fugâ, nihil amplum in arte eloquendi propo-

situm habent, nihil magnificum intuentur. Satis, inquiunt, nobis est levis quaedam exercitatio: splendidam istam ac speciosam, et quae vix paucis magno labore contingat, dicendi gloriam nihil moramur. Si indiserti nos, cum loquimur, admirantur, sapientes intelligunt, quid opus est ista nimium exquisita accuratio? Recte tu quidem, amice, quisquis es: recte inquam, si tantum vis esse unus de populo, si nullum appetis splendorem vitae, nullam famae commendationem: recte inertiam tuam praetexis despicientiâ hujusmodi gloriae: sin autem id sapientius esse judicas magisque ad dignitatem tuam pertinere, vide ne tibi ipse blandiaris, et in jndicando non sequaris rationum pondera, sed propensionem mollis animi tui. Orationi faciendae das operam? Ita est. Vis haberi disertus? Etiam. Pulchrum esse ac praeclarum putas, quicquid velis, persuadere dicendo? Maxime. At quae ista sapientia est, velle aliquod maximum, et aliquem sibi statuere in ejus magnitudine modum? ut non nolle quidem ex una parte, ex altera autem nolle videaris, et res ipsa ab oratione discordet? Statuendum tibi est semel, si eloquentiam diligis, quae est unum quiddam optimum atque integrum, ut ne eam in partes ac frusta discerpas: propone ejus tibi laudem ante oculos, quo cogitationes omnes tuae curaeque conferantur; nulli nec recte sapere, nec sapienter eloqui obtigit casu; alacri quadam voluntate opus est et, quae statim ex ea sequitur, diligentiâ. Neque enim tantum vere ac sapienter dictum est a Seneca, homine plane perfecto in Stoicis ac litteris expolito, partem magnam esse bonitatis, velle fieri bonum: sed etiam illud, magnam partem esse profectûs, velle proficere; quod qui facit, expetit ultro laborem: tantum abest ut sequatur inertiam: industria utitur, non desidiâ: non languoris jucunditate ducitur, sed cupiditate discendi, cogitat enim cum animo suo, sine

acri studio et ardore quodam amoris nihil tentari egregium, quid enim dicam perfici, posse? Sed tamen sunt lauti quidam juvenes ac delicati, quos ut pueros πανικὰ quaedam et vana perturbant: fingunt enim inanes sibi nonnullos et terrificos metus; nam cum et delectentur otio et abhorreant ab omni genere laboriosae occupationis, praecipiunt animo durum quiddam et difficile, quod videlicet metuentes negligi a se dicunt summam illam gloriam eloquendi, quam etiam, si Superis placet, videri volunt non desperatione formidasse, sed judicio refugisse. Sed apparet profecto, vidisse quidem illos et comprehensam habuisse mente excellentem eloquentiae venustatem atque elegantiam, sed, quoniam intellexerunt esse in ea conandum, vigilandum, sudandum, laborandum, et inerti capiuntur otio atque cessatione, cessisse retardatos metu. Levesne dicam homines, an ignavos, an miseros, quos quaedam magis terrent, quam debeant, quaedam ante terrent, quam debeant, quaedam denique terrent, cum omnino non debeant? Ita aut augent timorem sibi ipsi, aut praecipiunt, aut fingunt: et sciunt tamen ab immortalibus labore vendi omnia mortalibus: eundemque fieri assuetudine leviorem, nec compensari tantum boni adeptione, sed etiam spe adipiscendi, ut, qui eum recusat, se ipsum stultitiae nequitiaeque condemnet, tamquam sit bonis omnibus indignus: cum, quicquid est ubique boni, non nisi hac mercede comparetur. Quid utilius Sole, aut etiam quid ejus aspectu jucundius? quis non mirifice ipsius recreetur luce, eamque ob causam ingentes ei, licet non sentienti, gratias agat? et tamen esse legimus populos in Libya, nomine Atlantes, qui, ut ille exortus est, execrantur, precantur male, novissimam ei illam esse caeli peragrationem eandemque brevissimam volunt. Aeque perversum ac praeposterum horum hominum genus,

qui Solem illum disciplinarum atque artium — cum et lumen praeferat mentibus auferatque tenebras, omnemque rerum ignorationem quasi noctem pellat e pectoribus, omnia denique clarissimâ luce collustret — laborem inquam, sine quo magnus nemo umquam fuit, propterea convicio urgent et maledictis insectantur, quod eum veluti adversum ferre non possint: quem haud scio, ut etiam Solem, an orientem umquam viderint et occidentem: hoc magis reprehendendi, dignique magis quam Atlantes, quibus singulis nullum sit nomen proprium, quo vocentur, nisi forte communi desidiosorum: quod Atlantes Solem oderunt, cujus nimium videlicet propinqui ardore torrentur, isti autem non amant laborem, qui eos illustres in clarissima luce poneret honorum. Mihi credite, adolescentes: nullus esse locus inertiae debet aut socordiae apud eos, qui res magnas et magnopere expetendas concupivere. Quid enim pulchrum umquam fuit, quod idem esset facile? quis dormiens sibi tropaea constituit, quorum cogitatio faciebat, ut ne noctu quidem et in cubili Themistocles somnum capere posset? quis mollis et voluptarius coronam meruit in theatro? Non currenti praemium non datur; labores honorem pariunt: curriculum porro contentionem cursus desiderat, cursus sudorem excitat, sudore pervenitur ad palmam. Proinde desinant isti, aut eloquentiae se amatores esse profiteri, aut labori maledicere, nisi vobis judicibus, Patres religiosissimi, condemnari volunt, aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae. Vos autem contendite, adolescentes, qui estis in cursu, ad summum eloquentiae fastigium: intendite huc nervos omnes, vires, industriam: erit vobis vel fortunatus eventus, vel conatus ipse gloriosus: quin potius fortunatus eventus, cum labori nihil sit arduum aut difficile. Sed adversus hos nimium multa, qui, cum licere sibi dicunt, quod ne

licet quidem poëtis, mediocribus esse oratoribus, illud assequuntur, ut neque in ullum possint oratorum numerum pervenire. Haud paulo difficilior pugna cum iis est, quibus insidet quidem in mente species quaedam singularis eloquentiae, quam perpetuo admirantes intuen ur, eam tamen ita comem esse ac benignam putant, ut non aegre ferat, si quis eam eximiam non habeat, sed una etiam plurium disciplinarum amore capiatur. Qua ipsi in re magnopere falluntur; desiderat sane illa, ut sit vel locupletior, vel firmior, aliarum et instrumentum et adminiculum: sed tamen sive eam inspicias, sive animum nostrum, illud esse utriusque ingenium intelliges, ut et illa totum requirat hominem, et hic plura in studia distrahi utiliter non possit: illa quidem ut sit omni ex parte perfecta omnibusque absoluta numeris, tam assiduum usum sibique deditum postulat, ut, quantum imminuatur ex illo, tantum ex ipsius eloquentiae laude et perfectione detrahatur. Quaere qui ipsius studio fuerunt, et cum laude, nec sine industria, delectati: quaere qui ita in ea excelluerunt, ut summam eorum ac prope divinam orationis copiam admirere, Demosthenem, Isocratem, Ciceronem, Hortensium, alios: hos vero, relictis omnibus, ita sese abdidisse invenies in studium eloquendi, itaque in eo desudasse atque elaborasse, ut vehementissima contentione animi, ingenii, virium, in omni vita nihil aliud egisse videantur. Quod si interdum migrabant in castra, navigabant in oras philosophorum; exploratores erant, non transfugae, aut mercatores potius, ut ornatum pararent et supellectilem, quo suam pulcherrimam illam sponsam ac reginam, quam unam in omnibus expetierunt, donarent eloquentiam. Animus deinde noster unus cum sit, duarum rerum, si sint paulo graviores, uno tempore, non dico actionem, sed ne suscipere quidem cogitationem potest. Addam unum,

quod, etsi primo aspectu e nimio quodam amore profectum videbitur, apparebit tamen attentius consideranti verissimum: etiam si plures animos haberet unusquisque, ii essent omnes ad Rhetoricam intendendi: quod quoniam non accidit, eum unum quem habemus, quamvis habeamus acerrimum, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus. Neque vero ita sum durus aut pertinax, ut oratorem nostrum prohibeam ceterarum cognitione litterarum: sed eas omnes ad rhetoricarum ornamentum ac praesidium referri volo: ut in illis sibi putet esse deversorium, in his statuat vitae suae quasi tabernaculum; quod nisi faciat, erit is fortasse πολυλόγος, φιλολόγος certe, mea quidem sententia, non habebitur. Non qui multis dapibus vescitur, eum suae valetudini consulere medici arbitrantur: sed qui simplici tantum cibo salubrique contentus, eum stomachi calore concoquit et in succum sanguinemque convertit; πολυφαγία nonnullis opinor ganeonibus et gurgitibus dulcis et suavis esse videatur: sed, nisi sit Milo aliquis aut P. Gallonius, cruditatem parit, et, ut affirmabat Antiphanes Delius medicus non ignobilis, morbum, aut interitum potius, Socratis, ejus scilicet qui habitus est sapientissimus mortalium, testimonio, qui plures cruditate interfici dicebat, quam aut gladio, aut fame. Idem de istis, qui se Catones esse jactant et Varrones, helluones nempe librorum, judicium esse debet. Multa quidem legunt in multiplici genere artium, sed nihil fere addiscunt: multa percurrunt, sed pauca firmiter apprehendunt. Cum enim majorem habeant famem, quam ventrem, nullâque certâ in re, quam unam esse oportebat, diutius insistant, nihil recipiunt aut trahunt, quod insideat fideliter in animo: non acuunt ingenium, sed hebetant; non implent pectus, sed obruunt: inquinant mentem, non alunt: fastidioso homines stomacho et aegro, cum incondita varietate

delectentur: quem tamen cum inferciunt, nec lenire possunt latrantem tam multa ingesta nec sanare languentem: cum et ipsa remedia non prosint, nisi immorentur, nec medicus aegrotos in transitu curet. At dicet aliquis — sicut enim sunt quaedam animalia, quae, ne inveniri possint, vestigia sua circum ipsum cubile confundunt, id quod de latronum nobilissimo nobilissimus scripsit poëtarum: sic etiam sunt nonnulli, qui omni ratione occultant nec agnosci volunt errorem suum — dicet igitur aliquis (qua in re vos quoque vestram ad illius adscribetis sententiam), dicendi artem, non nudam aut solam, sed aliarum similiter doctrinarum coetu, et, ut ita dicam, mundo muliebri septam et ornatam esse debere. Certe, si vestitus ille, ornet, non oneret, nisi comitatus solitudo quaedam videatur magis, aut custodia; potest enim et vestis quaedam esse dedecori, et comitum multitudo carceris loco. Quod si disciplinas etiam alias adjunxeris, hoc vero me libente atque adeo hortante feceris: dummodo emineat illa et dux sit ceterarum, ad eamque excolendam unam ac deducendam convocatae reliquae et excultae esse videantur. Neque vero existimandum est, imminutum iri aliquid de existimatione sociarum, cum ad illam sese applicuerint, ut videatur esse opulentior atque illustrior; neque enim est aut comes malevola, ut aliarum opprimat splendorem, aut superba, ut videri cupiat singularis. Quippe nullam ex humanarum artium disciplinis veretur aemulam, quarum sua ipsa vi et progressione non facultatem modo et studia, sed invidiam etiam ac vota superavit: cujus rei cum alia multa, tum illud maxime potest esse argumento, quod ille unus, qui humana prope omnia non modo videtur scisse et indagasse, sed via etiam et ratione docuisse, Aristoteles, extrema paene aetate ita diligenter et absolute scripsit de arte rhetorica, ut

ceteris in libris alios qui scripsere omnes, in his vero ipse se propemodum vicisse dicatur. Quod cum dicitur, cavete adolescentes, ne solemni quadam formula potius ac loquendi consuetudine, quam quod res ipsa veritasque patiatur, dictum existimetis. Ajo enim vobis atque omni asseveratione confirmo, nihil potuisse fieri hoc quidem in genere perfectius; certe omnes, qui postea scripserunt et commentati sunt de arte dicendi, ad hujus unius normam formamque direxêre scriptionem: nec quisquam est, qui excelluerit in eloquentia, qui non hunc ipsum librum magistrum sibi in ea re fuisse ducemque fateatur. Quem cum superioribus annis semel atque iterum, ut potui, explicaverim, ita auditores meos ejus lectione excitari, ita frequentes convenire, ita studiose ac diligenter excipere ea quae dicerentur animadverti, ut, quae illis jucunda fuerunt et utilia, eadem quoque vobis adolescentes, qui non minori mentis impetu ferimini ad dicendi gloriam, et voluptati sperem et utilitati futura. Habetis ducem, ut ne quid dicam insolentius, scientem viae ac peritum itineris, qui vos, quantum in ipso erit, errare non sinet. Quod si posteriores cogitationes, ut est apud Euripidem, solent esse sapientiores: quid sentiendum est de tertia eorum librorum, qui semper accurate expositi videntur, interpretatione? Mihi quidem, de hoc quasi lumine aut sole potius rhetorici, ut ita dicam, coeli meaeque mentis quasi oculorum infirmitate multum ac saepe cogitanti, haec ferme veniebant in mentem. Quemadmodum qui ex clauso obscuroque loco, in quo delituit diu, tandem aliquando progreditur, non potest continuo imbecillam aciem insolenti lumini committere, sed a tenebris primo ad opaca procedit, deinde plus audet et paulatim claram lucem pati consuescit: sic etiam magna me spes tenet, fore, ut, qui, principio egressus veluti e tenebris, imaginem quamdam

videram horum librorum, sed quasi per umbram et caliginem, deinde audacior factus, admiratus sum clarissimum illum solem, sed praestinctos luce oculos non potui longius intendere, nunc tandem defigere possim obtutum incolumi acie: ex quo ita admirabiles amores excitabuntur eloquentiae, ut meo, ut opinor, praeconio effecturus sim, eam ut cupiant omnes, ament adolescentes magna indole virtutis ingeniique praestantes. Quales quoniam vos esse, si quam conjecturam affert hominibus vultus et conjectus oculorum, omnes intelligo: et mihi ipsi, et vobis, et hisce clarissimis viris, qui initium nostrarum scholarum honestare voluerunt, quam maxime gratulor; mihi quidem, quod ea instituenda atque ad eloquentiam informanda obtigerit adolescentia, ea nobilitate atque ingenii felicitate et, quae pluris facienda est, discendi cupiditate ac diligentia, ut haud sciam an meliores auditores fingere quisquam animo et cogitatione potuisset. Vobis enim, adolescentes, quidni gratuler plurimum, quibus bonorum auctor Deus eam injecit mentem, eam inseruit in ingenio solertiam, ut cum esse nihil dulcius putetis, tum nihil etiam facilius faciatis, quam discere? Fruimini vos isto mentis atque ingenii bono: et quoniam copiose loquendi sapientiam, praeclara ejus inflammati specie ac pulchritudine, adamare coepistis, non nisi re perfecta conquiescite; hoc agite unum, ut nec parvis quibusdam pectoris angustiis mediocre quiddam atque humile consectati, nec levitate ingenii nunc in hanc nunc in illam scientiam delati esse videamini. Sed nolo in hanc sententiam plura dicere, ne illos excitare videar cohortatione mea, ad quos paulo ante affirmabam gratulationem magis esse necessariam. Vobis denique, viri amplissimi et sapientissimi, qui vestro huc adventu et majus nostrum hoc gymnasium et vestram humanitatem illustriorem fecistis,

non gratulor solum, uti dicebam, quibus et in hac urbe et hoc ipso in loco videre contigit adolescentes ea ingenii abundantia ac mentis bonitate praeditos, ut et majoribus esse possint ornamento, et posteris exemplo: sed tum meo, tum ipsorum etiam nomine, quas possum maximas et plurimas gratias ago. Magnum est quidem quod vobis debemus: magnum: sed persolvere conari, tum superbum est, tum etiam difficile. Faciemus igitur, quod ejusmodi in rebus, dissolvendi facultate sublata, tum modestius videtur, tum etiam facilius: in omni nostra vita pro hodierno isto beneficio nos plurimum debere vobis confitebimur; interdum enim, cum res est cum viris et opum magnitudine et animi praecellentibus, solutionis loco est ipsa debiti confessio. Dixi.

XVI

M. ANTONII MAJORAGII

ORATIO

DE

CONTEMNENDIS OBTREC-TATORIBUS.

Habita Mediolani.

Cum multis in rebus, Viri Mediolanenses, eos, qui studiis optimarum artium dediti res egregias et excellentes expetunt, magno atque erecto animo esse oportet, tum in eo praecipue, ut malevolorum et obtrectatorum voculas, quamvis ab eis assidue vexentur, contemnant ac pro nihilo ducant. Hoc enim commune est omnibus iis, qui labore atque industria sua aliquo laudis genere florere incipiunt, ut statim ab invidia eorum fama, quasi a turbine aliquo, quatiatur et labefactetur. Qua in re, qui adeo timidi atque pusilli animi sunt, ut perterreantur et ab incepto desistant, ii nihil unquam egregium, nihil laudabile praestare poterunt: qui vero tam generosa, tamque excelsa mente praeditus est, ut, quamvis undique maledictorum aculeis incessatur, nihilo minus tamen, quod recte instituit, iter persequatur, et ad honoris atque dignitatis arcem enitatur, is vere magnus et omni laude dignus vir existimandus est. Neque

enim minoris fortitudinis atque constantiae est, adversariorum non frangi calumniis neque debilitari, quam aut assiduos perpeti labores, aut in arduis rebus nunquam animo defatigari. Sed tamen aliqui magno ingenio viri reperiuntur, qui plurimo quidem suis in actionibus omnibus studio, cura, labore, diligentia utantnr, sed adeo calumniis atque maledictis inimicorum moveantur, ut, si qua in re praeter spem atque opinionem de fama sua detrahi forte sentiant, majorem in modum discrucientur. Quo quidem in errore atque dolore, quoniam hoc multis bonis accidit, etiam me longo tempore fuisse nihil me pudet confiteri; verum deinde cum ratione ipsa tum sapientissimorum hominum exemplo sum ita confirmatus, ut, quod praeclare Poëta cecinit, „*quid proceres, vanique levis quid opinio vulgi de me sentiat*" plane securus sim. Quam ob rem rationes eas et exempla, quae mihi vehementer hac in re profuerunt, statui vobis hodierno die breviter commemorare: ne fortasse vestrûm quemquam improbae maledicorum voces et calumniae, quae quovis gladio (quemadmodum Thearidas quidam dixisse fertur) acutiores sunt, a reeta vivendi ratione dimoveant. Quod dum facio, quaeso vos pro incredibili humanitate vestra, ut me, sicuti facere instituistis, diligenter audiatis.

Est quoddam hominum genus, viri Mediolanenses, in laboriosis quidem et honestis rebus atque actionibus iners et ignavum: sed in alienis rebus judicandis et reprehendendis nimis audax et temerarium. Hi cum nihil ex sese dignum laude, dignum luce parere possint, cum nihil nisi abjectum, nisi humile spectent; tamen, cum aliquem navum atque industrium virum propter res egregie gestas in honore ac pretio esse vident, adeo cruciantur et affliguntur, ut non eis cibus, non potus, non lux, non vita suavis, nihil denique praeterquam maledicere jucundum sit. Itaque summo cum

animi livore, non aliter atque viperae, modo in hunc, modo in illum acerbitatis suae virus evomere non desistunt. Horum judicio si quis eloquentissimus sit, infans habetur; si maxima sit eruditione praeditus, imperitus et arrogans appellatur; si constantissimus et fortissimus, imbellis et enervatus praedicatur. Interdum etiam virtutes ipsas finitimis vitiis inquinare student. Magnanimum enim virum superbiae nomine accusant, doctum et eloquentem ostentationis et loquacitatis, religiosum superstitionis, prudentem malitiae, verecundum timiditatis. Quod si quis adeo praestans et praeclarus sit, ut in omnium ore laudeque versetur, usque eo tamen eum frigide laudant, ut longe magis vituperare, quam laudare videantur. Hi sunt qui claros et excellentes viros continenter mordent, vexant, lacerant; qui nobilium mensis assidentes, ut aliquid ipsi praeter caeteros sapere videantur, quos alii suspiciunt et admirantur, eos miro quodam supercilio despiciunt et aspernantur, qui, arrepta censoria virgula, de doctorum hominum lucubrationibus adeo temere judicant, ut, quae rectissime bonorumque scriptorum auctoritate posita sunt, ea pessime barbareque dicta pronuncient; qui denique nulla unquam in re sibi aeque placent, atque cum de alicujus boni viri fama detrahunt. Hos ego penitus ab eis, qui dignitatis atque honoris viam ingressi sunt, contemnendos ac negligendos esse censeo. Quod ita facillime facient, si primo cogitent, nequaquam in nostra potestate situm esse, quid de nobis quisque sentiat ac loquatur: atque idcirco insipientis esse hominis, ea re dolere, quam corrigere nullo modo possit: deinde si ita se gerant, ut nulla in re merito possint unquam accusari. Illud enim egregie vereque dictum est ab Ovidio.

Conscia mens recti famae mendacia temnit.

Nam qui conscientiae rectae voluntatis innititur, is

nihil certe calumniatorum turbines aut maledictorum procellas pertimescit: sed illud ex Ennio secum ipse tacitus frequenter insusurrat:

Dum clavum rectum teneam navimque gubernem,

dicat quisque de me quod voluerit. Quis enim nescit, ignavissimo atque imperitissimo cuique licere, non solum clanculum in eruditissimos et fortissimos viros, sed etiam aperte debacchari, et in quemvis, quocunque libido tulerit, maledicta profundere? Sed profecto rectissime Philemon dixit: Nihil est jucundius et docto viro dignius, quam ferre posse conviciantem: quoniam si ille, cui fit convicium, dissimulaverit, in ipsum auctorem redundat. Neque male Pythagoras de sapiente quodam et strenuo viro, qui nihili convicia pendebat, ita cecinisse fertur:

Οὐδ' ὅσσον μυίας στυγερῶν ἐμπάζετο μύθων.

Verba (inquit) illa contumeliosa multo minus curabat, quam si a musca laederetur. Potuitne magis invicti animi virum ostendere, quam hac similitudine? Quis enim in unius muscae morsu vehementer indolet? quis non hoc levissimum esse malum ac prope nullum existimat? Nos igitur eodem modo, cum falsum aliquod in nos jactari convicium audimus, non solum nihil dolere, sed ne quidem illud ad nos pertinere significare debemus. Nam qui dolorem ex calumniis capit, is sese affinem esse culpae ostendit neque fere quisquam maledictis multum irascitur, nisi qui pravae voluntatis conscientia movetur. Sed tamen interdum accidit, ut calumniatorum invidia, cum nos in aliqua re praeclare gesserimus, non solum nobis laus et gloria pereat, sed, quod longe pejus est, etiam eo nomine male audiamus: quae certe res non potest animum optimi cujusque viri non mediocriter commovere. Verum huic dolori facile medebitur illud egregium Alexandri Magni dictum: qui, cum audisset, ab obtrectatoribus quibusdam de fama sua detrahi,

Regium est, inquit, *bene facere*, *et audire male.* Est enim profecto magni et excelsi animi (quemadmodum censet Aristoteles), nihil omnino calumniis moveri, atque injurias non tantum aequo animo tolerare, sed etiam prorsus negligere: unde non sine causa Cicero magnopere Caesarem in eo commendat, quod nihil praeter injurias oblivisci soleret. At contra qui calumnias et convicia pertimescit, is certe magnis in viris habendus non est. Dum enim omni ratione studet invidiam omnem evitare atque omnibus placere, plerumque fit, ut in eas angustias incurrat, ut de salute atque dignitate periclitetur: quod Callicratidae Lacedaemoniorum duci et Cleombroto contigisse testis est Cicero. Longe vero sapientius et melius cunctator ille Fabius se gessisse dicitur; qui, cum fractas ab Annibale pôpuli Rom. opes atque vires intelligeret, aequo Marte cum eo dimicare nunquam voluit, sed eum per montes et aspera loca sequebatur: unde per contentionem a nonnullis Annibalis Paedagogus dicebatur. At ille nihil hoc convicio permotus institutum suum sequi perseverabat: donec tandem patientia sua ferocientem et juveniliter exultantem hostem perdomuit. De quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem;
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Idem Fabius in familiari collocutione frequentissime dicere solebat: eum, qui convicia metuat, longe sibi timidiorem videri, quam qui hostes fugiat. Socrates, vir Graeciae sapientissimus, etiam utile esse dicebat conviciatores audire. Nam si vera, inquit, dixerint, ea corrigere atque ita meliores evadere poterimus; sin falsa, nihil ad nos ea pertinere facile declarabimus. Quod etiam fortissimum illum atque sapientissimum Macedoniae regem Philippum non fugit, qui se principibus Atheniensium maximam habere

gratiam praedicabat, eo quod suis conviciis efficerent, ut ipse quotidie et moribus et oratione melior evaderet: dum eos, inquit, conor et dictis et factis mendacii convincere. Idem rex cum audisset, maledicum quendam frequenter sibi detrahere, nihil penitus se curare ostendit: cumque amici suaderent, ut illum, si minus extremo supplicio vellet afficere, saltem relegaret, immo vero, subridens inquit, hoc non faciam, ne forte apud plures externos ambulans de me male loquatur. Quod si magnum inimicis nostris dolorem magnamque tristitiam afferre studemus, illud Diogenis Cynici multo pulcherrimum dictum servare oportebit. Quem cum juvenis quidam interrogasset, quo modo posset invidos atque obtrectatores suos punire, Si te ipsum, inquit, quotidie meliorem praestiteris. Hoc enim certe maximum est invidis tormentum, hic ingens est cruciatus, hoc summum supplicium, cum in dies vident res nostras melius succedere, nosque diligentia atque assiduitate nostra quotidie fieri clariores: hoc illos perpetuo vexat, hoc cruciat, hoc efficit, ut invidiâ disrumpantur. Quid, cum intelligunt, a nobis se prorsus contemni, quo tandem dolore, quo furore, qua rabie concitantur? Quis enim id non vel legit, vel audivit, quod de Dione Alexandrino, Philosopho Academico, memoriae proditum est? quem conviciator quidam insecutus cum toto die vexasset, neque ullam ab eo vocem elicere potuisset, Nihilne tandem respondes? inquit. At ille, Ne γρῦ quidem, ait. Quo audito conviciator tanto dolore affectus est, ut statim abiens se suspenderit. An non hac ratione longe atrocius inimicum suum punitus est Dio, quam si rusticorum more tota, quod ajunt, conviciorum plaustra regessisset. Idem paene cuidam Socratis inimico dicitur accidisse, qui conviciis non contentus, quae in Socratem multa conjecerat, eum etiam calce percussit: cum autem

amici quidam Socratem adhortarentur, ut percussorem in jus vocaret, Ridiculum, inquit; an, si mihi asinus calcem impegisset, in jus vocarem? Itaque cum ille se negligi penitus a Socrate intelligeret, sibi ipse manum violenter intulit. Hae sunt invidorum et malevolorum furiae, haec tormenta, haec supplicia: quae multo magis auctoribus ipsis nocent, quam eis, quibus maledicunt. Unde vere suaviterque Poëta quidam Graecus in hunc sensum cecinit:

Pessimus est certe, sed habet quaedam optima livor;
Invidi enim merito corda oculosque vorat.

Hoc igitur nos maxime consolari debet, quod invidi longe majorem ex felicitate nostra dolorem accipiunt, quam obtrectando nobis damnum afferant, et majus ipsi dedecus subeunt, quam nobis infamiam comparare possint. Sed illud in primis cavere debemus, ne nos ita transversos ira rapiat, ut praesenti maledico respondeamus. Turpis enim illa contentio, et non tantum prudente ac litterato viro sed quovis homine prorsus indigna, cum maledictis maledicta rependuntur. Hac de causa Demosthenis illud dictum magnopere laudatur: qui cum ab obtrectatore quodam conviciis provocaretur, Non descendendum, inquit, in hujusmodi certamen, in quo qui victus fuerit, multo melior est eo, qui vicerit. Et certe tanto levior et abjectior a sapientissimis viris quisque existimatur, quanto maledictis lacessitus magis excandescit. Aristippus, cum eum maledicus quidam plurimis conviciis incesseret, nihil respondebat, sed tacitus ire contendebat: ille autem magna voce clamans, Cur, inquit, aufugis? tunc Aristippus: Quia tibi potestas est male loquendi, mihi vero non audiendi. Cleomenes rex Lacedaemoniorum, cum ei quidam maledicere non cessaret, An ideo de omnibus, inquit, male loqueris, ne nobis otium sit de tua malitia loquendi? Sed omnium maxime civiliter hoc in

genere se gessisse Pericles Atheniensium princeps legitur: quem cum improbus quidam conviciator per totam urbem sectaretur, et magno cum clamore objurgare, vituperare, despuereque toto die non cessaret, nihil unquam ei respondere voluit; sed omnia maledicta summo cum silentio pertulit, quamvis in singulas horas ille maledicendo magis atque magis incalesceret: quin cum vesperi domum rediisset et eum ad januam usque maledicus insectatus fuisset, jamque noctis tenebrae supervenissent, quendam ex servis suis ad se vocavit et accepto lumine jussit hominem illum comitari domumque deducere. Qua re quid constantius aut civilius excogitari potest? Quis hoc nostro tempore tam mitis, tam patiens, tam constans non dicam princeps (nam ii ne vocem quidem cujusquam liberam ferre possunt, nedum convicia), sed quis tam mansuetus homo reperitur, qui in tanta conviciatoris improbitate vel dissimulare, vel tacere possit? Ex hoc intelligi facile potest, quanta animi magnitudine, quo mentis robore praeditus ille vir esset, quem non tanta maledictorum multitudo movere potuit, ut suae benignitatis oblivisceretur. Fuit haec quondam in animis veterum illorum constantia atque sapientia, nihil ut injuriis moverentur, ut longe promptiores ad ignoscendum essent, quam ad ulciscendum. Pittacus Mitylenaeus, cum in ejus potestatem venisset quidam, a quo graviter laesus fuerat, eum tamen impunitum dimisit, illud pulcherrimum addens elogium: Veniam ultione multo praestantiorem esse, propterea quod venia mansuetae naturae, ultio vero belluinae sit indicium. Quod etiam Lycurgus, Lacedaemoniorum legislator, exemplo memorabili maximeque laudando comprobavit. Cum enim juvenis quidam, Alcander nomine, illum odio inflammato secutus fuste percussisset et oculum etiam eruisset, nullam ipse quaesivit ultionem: verum

Alcandrum, publico decreto sibi traditum, tantum abfuit ut puniret, ut etiam optimis et saluberrimis consiliis et praeceptis eruditum ita emendaverit, ut postea vir probissimus et rei publicae utilissimus extiterit. Quid hac placabilitate atque clementia divinius? quid admirabilius? At nos quidem, si quis paulo liberius accusaverit, statim indignamur, dolemus, ultionem quaerimus. Cur non potius imitamur Paulum illum Tarsensem, nostrae religionis antesignanum? Qui ad Corinthios scribens ita de se gloriatur: Conviciis afficimur, et benedicimus: persecutionem patientes, sustinemus: maledictis incessimur, et obsecramus. Aut, si ad perfectionem hanc nostrae mentis imbecillitas pervenire non potest, ut inimicis et obtrectatoribus nostris bene faciamus, saltem eos, clarissimorum hominum exemplo, contemnamus. Nam quis nescit, cujusque mentem et linguam esse liberam: et ex hominum numero longe plures esse, qui alios improbare, quam qui laudare parati sint? An postulamus, ut nostra melior sit conditio, quam praestantium omnium virorum, qui post hominum memoriam floruerunt, unquam fuerit? Quis enim unquam tam eruditus, tam excellens, tam ab omni laude felix extitit, qui obtrectatore caruerit? Quis unquam tanta sapientia virtuteque praestitit, qui maledictorum sermones effugere potuerit? Est enim virtuti comes invidia, eamque non aliter sequitur, atque umbra corpus: itaque nullo modo fieri potest, ut, qui virtutem amplectitur, non etiam in invidiam et obtrectationem incidat: sicuti ambulare in sole nemo potest, quin etiam umbram secum trahat. Non defuit Homero, non tantum Poëtarum sed etiam doctrinarum omnium principi, Zoilus suus: habuit Plato, ille vere divinus, obtrectatores plurimos: Aristoteles, Demosthenes, ille Philosophorum, hic Oratorum princeps, maledicorum morsus evitare non potuerunt. Quid M. Tullius Cicero? quem vere Quintilianus ait dono

quodam providentiae genitum, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, qui omnes ex se ipso virtutes extulit immortalitatis ingenii beatissima ubertate, qui vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis effinxit: nonne a sui temporis hominibus ita incessebatur, ut tumidus, ut Asianus, ut redundans, ut in repetitionibus nimius, ut in salibus aliquando frigidus, ut in compositione fractus, exultans, ac paene viro mollior diceretur? Quid P. Virgilii Maronis divinum illud et immortalitate dignum ingenium? an non obtrectatoribus adeo patuit, ut nullum ejus opus extiterit, quod non Hipponacteo, quod ajunt, praeconio fuerit addictum? Nam Eclogas Paro quidam tanquam non latine scriptas irridere ausus est, noto illo et pervulgato versu:

Dic mihi Damoeta, cujum pecus, anne Latinum?

Alius absolutum prorsus atque ex omni parte perfectum Georgicorum opus irrisit, eo carmine:

Nudus ara, sere nudus, habebis frigora, febrem.

Quin etiam Carbilius pictor contra divinam Æneida justum volumen conscribere non dubitavit. Unde satis apparet, nihil esse tam eximium, quod non incessere atque violare maledicendi libido audeat. Quid quod apud Graecos meretricula quaedam, Leontium nomine, contra Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, ut a divinitate dicendi nomen invenerit, scribere ausa est? unde proverbium natum esse dicunt: Suspendio arborem esse deligendam. Sed quid haec commemoro? Quasi vero nesciamus, etiam Christum ipsum, nostrae salutis auctorem, invidorum maledictionibus, quoad in hac vita fuit, expositum fuisse. Nam eum Pharisaei legum violatorem, vini avidum, carnium appetentem, improborum socium atque amicum appellabant: et quae divina potestate virtuteque faciebat, ea malorum daemonum artibus fieri clamitabant. Quare si Christo, non tantum hominum praestantissimo, sed etiam Dei filio, maledicorum lingua non

pepercit, quis est omnium, qui se ab ea tutum fore sperare possit? et si ea, quae divinitus fiunt, obtrectatoribus non carent, quid illis fiet, quae natura humana parum cavere potuit? Itaque nemo unquam sapiens ea re multum sibi dolendum censuit, quod a multis sibi detraheretur: quoniam hoc vitari nullo modo posse quisque intelligit. Semper enim parati sunt, qui obtrectatione alienae virtutis aut scientiae famam sibi aucupentur; et ii potissimum (ut ait Plinius), qui verae laudis expertes sunt.

Quae cum ita sint, Viri Mediolanenses, non est quod quisquam nostrûm amplius posthac unquam angatur aut doleat, etiam si multos esse, qui sibi detrahant, intelligat: modo nos ita caute geramus, ne maledicendi cuiquam occasionem praebere videamur. Immo vero quanto plures esse, qui de fama nostra detrahant, intellexerimus, tanto majorem animo laetitiam, modo innocentes simus, capere debemus. Qui enim innocens multos habet obtrectatores, is ut multis etiam virtutibus antecellat, necesse est. Nam nihil habenti nihil detrahi potest: ei vero, qui plurima bona possidet, etiam si multa detrahantur, tamen semper aliqua supersunt, quibus jucunde frui possit. Clament igitur licet in nos, quantum voluerint, invidi atque improbi homines, obstrepant, latrent, debacchentur: nos exemplo sapientissimorum hominum nihil eos omnino timeamus, vel potius vehementer negligamus; neque ullo modo patiamur, ut eorum calumniae nos ab instituto virtutis veraeque nobilitatis cursu revocent. Sed quo magis obtrectatorum improbitas in nos incaluerit, eo nos erectiori animo promptiorique res egregias et laude dignas amplectamur. Sic enim fiet, ut illi secum ipsi invidiae veneno contabescant, nos autem laeti, quasi de hostibus assidue triumphantes, in honore atque dignitate, quod reliquum est vitae, traducamus. Dixi.

XVII

M. ANTONII MAJORAGII
O R A T I O
DE
PARENTUM IN ERUDIENDIS LIBERIS ATQUE ADOLESCENTIUM IN STUDIIS OPTIMARUM ARTIUM OFFICIO.

Habita Mediolani.

Credo ego, vos una mecum frequenter admirari, Viri Mediolanenses, quid in causa sit, quod, cum omnes fere nostri adolescentes praeter ceteros ingenio memoriaque praecellant, et quodam etiam naturali mentis instinctu, afflatuque quasi divino trahantur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, magnaque sint in hac civitate literarum studiis vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem proposita praemia: tam pauci tamen ex eis emergere et bonis in artibus excellentes evadere soleant. Ac mihi quidem, diligenter hoc animo volventi atque reputanti, cum hujusce mali permultae esse causae tum duae praecipue videntur: quae si quo modo radicitus extirpari atque evelli possent, tum vero spem minime dubiam conciperem, fore, ut brevi tempore nostri homines multum caeteris hominibus omnium gentium literarum gloria praestarent. Dicam enim audacter id quod verum est: Nimis indulgentes sunt in liberos suos cives nostri,

et teneriore, quam conveniat ac deceat, eos animo complectuntur. Quae sane mihi prima atque maxima videtur esse causa, cur plerumque tardiores atque segniores ad humanitatis literarum studia fiant. Ita enim ingenium est omnium hominum (quod ait Comicus) a labore proclive ad libidinem: ut, nisi puerorum atque adolescentium animi severitate quadam et frequentissimis quasi stimulis orationis ad honestatem excitentur, jurgiis autem et minis, vel etiam graviori, cum opus fuerit, reprehensione a turpitudine retrahantur, facile studlis honestatis derelictis in omne dedecus prolabantur. Nescit enim aetas illa rerum ullum modum suis in actionibus observare; sed, quocunque rapit eam vehementior appetitus atque cupiditas, eo sine diligenti cogitatione facillime declinat. Altera est ejusdem mali causa, quoniam labores et vigilias eamque, sine qua nihil, quod laude dignum sit, assequi quisquam potest, diligentiam adolescentes plerique nostri refugiunt, et ea tantum a pueritia percipiuut, quae praeceptorum ope, sine studio suo, sine industria, sine labore percipere possunt. Nam per Deos immortales, quid adolescentibus nostris, dum iis in artibus, quibus aetas puerilis informari solet, a praeceptoribus detinentur, ingeniosius? quid acutius? quid magis docile? quam enim facile, quaecunque traduntur, percipere solent? quam fideliter continere, quam denique mirabiles brevi tempore progressiones in percipiendis disciplinis efficiunt? quoniam eo tempore non sua, sed praeceptorum tantum industria atque diligentia nituntur. Sed postquam e pueris excesserunt, nec amplius adest illis praeceptorum cura, qua sedulo prius ad studia trahebantur; liberius vivendi potestatem nacti, literarum studia, quasi servile quoddam jugum, aspernantur et rejiciunt; tantumque abest, ut eam, quam a primis annis per-

ceperant, eruditionem augere studiose contendant, ut etiam, quae antea summa cum praeceptorum assiduitate didicerant, oblivioni penitus tradant. Hujus igitur cessationis atque negligentiae partem sibi parentes ipsi vindicant, qui filiis suis habenas usque eo laxant, ut in eis plerumque sit omnium rerum infinita atque intoleranda licentia: partem etiam adolescentes, quos caeca et temeraria dominatrix animi cupiditas tantum exagitat, ut ante eorum oculos non honor, non gloria, non dignitas, sed ludi, joci, convivia, voluptates obversentur. Itaque cum hanc tantam adolescentium corruptelam plerumque multarum in re publica causam esse calamitatum non ignorem, neque publicis tantum, sed etiam privatis rebus saepissime maxima videam afferre detrimenta: statui, si quo modo fieri poterit, hodierna concione mea rationem atque modum ostendere, quo non solum vitium hoc emendare, sed etiam facile possint et parentes liberos suos in dignitatis atque amplitudinis via continere, et adolescentes ad eam scientiarum et virtutum metam, quae sit etiam ad posteritatis memoriam gloriosa, contento studio cursuque pervenire. Quod dumfacio, quaeso vos, ut me attentissimis animis summa cum benignitate, sicuti facere instituistis, audiatis.

Est enim (ut hinc primum exordiar) in ipsis parentibus maxime situm, ut intemperantiam caveant et verecundiae meminerint adolescentes, ut honestatis cursum teneant, ut denique capiant gloriae portum et dignitatis. Quod ita facillime facient, si ab ipsis statim incunabulis acerrimam illis curam penderint, ut cum nutricis lacte moribus quam optimis imbuantur; ut non in delicato, sed simplici victu, non in otio, sed labore, non in luxu, sed rerum omnium parsimonia, non in temeritate et audacia, sed modestia et verecundia, non in licentia, sed timore, non in puerilibus nugis, sed in liberalibus

disciplinis, primam eam ac teneram aetatem traducant. Atque illud in primis apud animum suum parentes statuant: nullas se filiis suis praestantiores posse divitias relinquere, quam si eos bonis artibus instructos et bene moratos reliquerint. Tales enim (ajebat Aristippus) nobis opes comparandae sunt, quae, si forte naufragium facere contingat, una cum domino possint enatare; quae nec eripi nec surripi possint, nec temporum nec tempestatum permutatione mutari: quas nobiscum habere, nobiscum semper afferre possimus: ut, si forte peregrinari solumque vertere contigerit, liceat nobis cum Biante Prienensi dicere: Ego omnia mea mecum porto. Quare multo magis filiorum animos, quam corpora curare parentes debent. Sic enim, quaeso, mecum, Optimi Cives, cogitate: Si cui vestrûm forte filius dilaceratis vestibus, deformata facie, luto squaloreque obsitus, macie atque fame confectus occurrat, an non cujusque vestrûm animum ad misericordiam ita commoveat, ut lacrymis prae nimio moerore totus destillet? Cur igitur, cum eundem filium ab omni honestate alienum, improbum, flagitiosum, obscoenis tantum voluptatibus deditum videtis, non eodem modo commoveamini? non omni studio, cura, diligentia laboratis, ut in viam redeat? ut turpem illam vivendi consuetudinem relinquat? Cur vos indulgendo facitis, ut deteriores quotidie fiant? Utinam (ait Quintilianus) liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam appellamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quos enim virtutum fructus adulta jam aetate laturum eum animum sperare possumus, qui a teneris unguiculis vitia statim imbibit? Quid non aetatis progressu concupiscet, cujus infantiam parentes argento, auro, purpura, preciosis atque holosericis vestibus exornant? Quam in adolescentia temperantiam praestare poterit,

quem puerum atque adeo infantem parentes conquisitissimis epulis et obsoniorum omni genere saturant? Qua ratione sobrius in reliqua vita fiet ille, quem e puerita parentes ebriosum efficiunt? Haec nimirum in causa sunt, ut optima nostrorum adolescentium ingenia tam facile corrumpantur; ut omnis fere juventus nostra voluptati se dedat, laborem effugiat, nihil cessatione melius existimet. Educantur enim ab infantia molliter et delicate, stipantur muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu: molles tantum atque etiam saepissime turpes audire sermones assuescunt: adest in mensa mater, quae illis ad nutum, quaecunque voluerint, obsonia subministret: quae, merum affatim praebens, cor et vitam suam appellet: quae cujusque generis bellaria dulcissima frequenter ingerat: adsunt, qui illis assidue blandiantur, qui adulentur, qui dominos ac principes appellent, qui jam puellas et amicas illis praeparent: ipse vero puer fulget in purpura, tantis affluens deliciis, ut ad omnia quodammodo nauseare videatur, omnes jam quodam supercilio contemnat, et jam vulnera, jam mortes minitetur: cum interim parentes gaudeant, si quid forte majore cum licentia dixerit, et verba quavis acri reprehensione dignissima cum risu et osculo excipiant. Et quisquam erit, qui, cum haec intelligat, admiretur, tam paucos esse, qui doctrinarum gloriam capessant! Magna vis est consuetudinis; quae non facile, cum inhaeserit, extirpari potest, sed quasi in naturam abit. Itaque fit, ut juventus nostra, postquam adoleverit, ne si voluerit quidem, has infantiae delicias prorsus exuere possit. Et quamvis nonnulli fortasse reperiantur, qui inter hanc tam mollem vivendi rationem, inter tantam parentum negligentiam atque indulgentiam nonnunquam emergant et in praestantes viros evadant, quales multos habet haec nostra civitas: non tamen

ideo sperandum est, etiam reliquos horum vestigia secuturos. Id enim verissimum est, quod ait Satiricus:

Forsitan haec spernant juvenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit praecordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.

Quamobrem qui parentes liberos suos ad gloriam, ad opes, ad dignitates aliquando maximas pervenire concupiscunt, hos penitus exuere mores, hanc immutare consuetudinem prorsus oportet: quae tam perniciosa est et puerorum ingeniis detrimenti tantum afferre solet, ut, etiam si optima natafuerint, omnino brevi tempore depraventur. Servandum est ejusdem Poëtae praeceptum illud optimum:

Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est; procul hinc, procul inde puella
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia.

Confestim igitur ita puer educandus atque monendus est, ut ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat; habendumque in animo semper illud Virgilianum:

Adeo a teneris assuescere multum est.

Abeunt (ut ait Ovidius) studia in mores. Ferunt olim puerum quendam, Platonis discipulum, cum domum reversus parentem suum nimis effuse ridentem videret, vehementer admiratum dixisse: Quid, hoc pater, est, quod tam immodice rides? equidem apud Platonem nihil unquam tale conspicatus sum. Faciles ad utramque viam puerorum animos natura gignit: ut, cum ducem nacti sunt, vel ad honestatem vel ad turpitudinem, non admodum repugnantes sequantur. Itaque praecipuum hoc parentis officium esse statuo, ut nulla in re filiis suis nimium indulgeat: ut omnes ab eis delicias moveat: ut neminem ex familia, quem obscoenis moribus esse sciat, cum filiis consuetudinem

habere patiatur: ut eos cujusque generis laboribus assuefaciat: ut in vitae frugalitate temperatis escis modicisque potationibus educet: ut et ipse doceat, quaecunque potest, et probos atque eruditos eis praeceptores quaerat, imiteturque Catonem illum Censorium, virtutum omnium pulcherrimum exemplar, qui praeceptor ipse filii sui esse voluit, quamvis Chilonem optimum apud se grammaticum haberet. Eum enim et literas et leges Romanas edocuit: eum jaculari, et arma tractare, equitare, calorem et frigus, famem et sitim tolerare, rapidos gurgites et velocissimos fluvios tranare, ita assuefecit, ut nullus ex omni Romana juventute his in artibus eum antecelleret. Praeterea Romanas historias manu propria majusculis literis exarasse dicitur, ut majorum suorum exempla, qui fuerant omni genere virtutum cumulati, semper ante oculos habere filius posset. A verborum non tantum obscoenitate atque turpitudine, sed etiam licentia, praesente filio, perinde temperavit, quasi cum Vestalibus virginibus loqueretur. Legerat enim (ut arbitror), Platonem, illum gravissimum honestatis praeceptorem, in omnibus fere dialogis suis parentes in primis ad recte liberos educandos adhortari. Primam enim et maximam rei publicae curam in juventute liberaliter instituenda consistere Plato judicat: quae deinde, parentibus succedens, universam rem publicam et prudentia, et optimis consiliis, et morum integritate non solum tueatur atque conservet, sed etiam exornet et amplificet. Quod si quando magna opus est in filiis custodiendis diligentia: tunc certe maxima est adhibenda, cum a privatis praeceptoribus profecti vivere liberius incipiunt. Nam antea ita facile scire possumus, aut ingenium noscere, dum aetas, metus, magister, ut ait Terentius, prohibent: at vero, cum a pueritiae disciplina discesserint, tunc maxime cujusque natura sese effert: quae, quasi custodiae

vinculis exemta, quocunque tulit eam impetus, sine cogitatione defertur. Quod nisi rector aliquis adsit et moderator, qui auctoritate sua consilioque revocet ab iis cupiditatibus, quibus aetas illa majorem in modum obnoxia est, ad deteriorem partem plerumque sese applicat. Tunc enim, quemadmodum recte ait Persius,

Iter ambiguum est: et vitae nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.
Tunc quivis est (ut Horatius verissime scribit)
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Eo potissimum tempore corporis voluptas, illecebra turpitudinis, temere et effrenate sensus movet, quae boni naturam fallaciter imitando adulterat; quam Plato escam malorum appellat; in cujus regno virtus consistere non potest. Ab hac blandissima domina nisi omni cura atque diligentia retrahantur adolescentes, saepe majores animi partes a virtute detorquent et paulatim omnem honeste vivendi rationem deserunt. Quod utinam non nimis frequenter nostris adolescentibus accidere videremus, quorum eo tempore curam parentes dimittunt, quo maxime curare eos oporteret: decimum enim sextum aut septimum agentes annum, qua quidem aetate propter sanguinis fervorem cujusque generis voluptatibus aestuare magnopere solent, sine ullo morum custode, sine studiorum moderatore, vel ad publica Gymnasia, quae nostra tempestate scatent omni flagitiorum genere, mittunt, vel libere, quocunque voluerint, evagari patiuntur. Itaque me hercule minime mirum est, si labores omnes et vigilias aspernantur, voluptates autem et otium ambabus, quod ajunt, ulnis amplectentur: cum ab ipsa pueritia deliciis affluentes nullam unquam corporis incommoditatem sentiant, ineunte vero adolescentia rerum omnium infinitam licentiam nanciscantur, ut suo arbitratu, quicquid libido praescripserit, aggredi possint, ut

ut eorum tantum, quos flagitiis atque improbitati suae favere senserint, consuetudinem et familiaritatem sequantur. Non haec erat veterum illorum sapientissimorum hominum Romanorum consuetudo, qui ita suos adolescentes instituebant, ut aetate illa lubrica, cui inest maxima imbecillitas consilii, majores natu non aliter vererentur, quam si communes omnium parentes essent: exque his deligerent optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate niterentur. Putabant enim, ineuntis aetatis inscitiam senum prudentia constituendam atque regendam esse: maxime autem hanc aetatem a libidinibus arcendam, exercendamque in labore, patientiâ et animi et corporis arbitrabantur, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeret industria. Quem quidem exercendae magnis in laboribus juventutis morem antiquae Italiae fuisse Numanus quidam apud Virgilium his verbis ostendit:

Durum a stirpe genus; natos ad flumina primum
Deferimus, saevoque gelu duramus et undis.
Venatu invigilant pueri silvasque fatigant.
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoque assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.

Legimus Lycurgum, Lacedaemonium legislatorem, inter alias praeclarissimas leges suas instituisse, ut adolescentes perpetuis in laboribus exercerentur; una tantum veste, sive hiems, sive aestas esset, uterentur; sine ullo pulmento vescerentur; nihil sibi somni causa substernerent; venando, currendo, sudando, ciborum condimenta quaererent; famem, sitim tolerarent: quibus ex rebus fiebat, ut invicto prorsus animo Spartana juventus esse videretur. Persarum in adolescentibus instituendis morem et consuetudinem Xenophon exponit, quos a natu majoribus in omni disciplinarum genere magnisque in laboribus continenter exerceri tradit, et praeterea tam tenui victu

sustentari, ut eos neget ad panem adhibere quicquam, praeter nasturtium. Jam vero (ut ad Romanos revertar) majores natu superiorum suorum res egregie gestas ad tibiam, carmine comprehensas, recitare solitos accepimus, ut ad eas imitandas juventutem alacriorem redderent. Quod si quando juvenibus relaxare animos et dare se jucunditati concedebant, in ejusmodi etiam rebus, ut facilius intemperantiam caverent, majores natu volebant interesse. Inde oriebantur imperii clarissima lumina, Camilli, Scipiones, Fabricii, Catones, Fabii, caeterique innumerabiles viri praestantissimi: qui honoribus et rerum gestarum gloria florentes, maximum patriae suae splendorem atque adjumentum attulerent, suum vero nomen in orbis terrae memoriam sempiternam disseminarunt. Haec tam egregia veterum, in custodienda exercendaque bonis in artibus juventute, si nostri cives exempla sibi proponerent, eaque imitari magno studio summaque industria contenderent; minime dubitandum esset, quin plurimos non tantum iis, qui diversis in regionibus vivunt, eruditissimis viris praestantiores, sed etiam, qui cum antiquis scientiae gloria certare facile possent, brevi tempore latura haec esset civitas. Neque enim existimandum est, tardiora aut hebetiora esse nostri temporis ingenia, quam antiquorum fuerint. Quod sane multis in rebus haud difficulter intelligi potest, quae longe subtilius aut ingeniosius hoc nostro tempore tractantur, quam antiquis temporibus tractatae fuerint. Sed si qua in re veteres antecelluerunt, non mentis acumine, sed industria; non ingenii sagacitate, sed incitato studio; non denique memoriae tenacitate, sed assiduo labore superarunt. Itaque si nobis idem labor, idem studium, eadem industria, qua illi utebantur, statim ab ineunte aetate adhiberetur: fortasse et in Philosophia Platones aliqui aut Varrones, et in Mathematicis Archi-

medes aut Caii Sulpitii, et in arte Poëtica Homeri aut Virgilii, et in Eloquentia Demosthenes aut Cicerones, et in Jure civili Solones aut Scaevolae, et in arte medica Hippocrates aut Cornelii Celsi, et in Historia Thucydides aut Salustii, et denique in Grammaticis Aristarchi aut Palaemones, nostris etiam temporibus exoriri viderentur.

Dixi de parentum officio. Nunc de ipsis adolescentibus, quorum maxime interest, aliquanto plura dicam. Quamvis enim parentum cura atque diligentia ad filiorum eruditionem et excellentiam omnium maxime prosit, non tamen ideo sola sufficit. Nam nisi ipsorum etiam adolescentium studium et amor adjungatur, vanus est omnis parentum labor, inanis omnis industria. Quot enim fere quotidie videmus optimos cives mire de suis filiis esse sollicitos, ut et praeceptores eruditos habeant, et in literis assidue exerceantur, et ab aliis omnibus curis atque negociis avocentur, cum tamen interim isti sub tanta parentum diligentia parum admodum proficiant et nunquam ad optatam metam perveniant! Cujus rei quid aliud in causa dicemus esse, praeter summorum ipsorum adolescentium negligentiam atque socordiam? qui tam remisso atque vili animo sunt et, quamvis apertam dignitatis ac gloriae viam oculis ipsis pene videant et eis omnia copiose suppetant, quae ad virtutis culmen hominem provehere facile possunt, tamen ita sese abjiciunt atque prosternunt, ut nihil inter eos et quadrupedes aliquas interesse videatur. Quare vos ego, suavissimi mihique carissimi adolescentes, et qui nobiles estis et qui ingenio et virtute nobilitatem consequi potestis, non tantum moneo, sed etiam vobis meo quodammodo jure praecipio, si laudis et dignitatis et honoris viam ingredi concupiscitis, ut duo illa semper ante oculos habeatis, quae isti aetati vestrae non tantum utilis-

sima, sed etiam maxime necessaria sunt: ut et iis, qui recta praecipiunt, parere animum inducatis, et plurimum etiam sponte vestra laboretis. Neque enim is, qui relinquit et abjicit obedientiam, eosque non audit, quibus est subjectus lege naturae, quicquam poterit unquam praestare, quod laude dignum esse videatur. Qui vero laborem atque animi contentionem refugit, is plane (quod ait Musonius Philosophus) se ipsum bonis rebus omnibus indignum ostendit. Verissime namque dictum ab Epicharmo Siculo: Laboribus omnia bona Deos immortales hominibus vendere. Justus enim ac honestus labor (quemadmodum ait Cicero) praemiis, honoribus, splendore decoratur. Primum igitur adolescentis officium est, ut eis omnibus (si fieri potest), quos consilio et prudentia plurimum valere intelligit, obtemperet. Est enim magna quaedam virtus et praecipuum in adolescente bonum obedientia: cujus vis atque utilitas tam longe lateque diffunditur, ut nullum non modo vitae gravius genus, sed ne minimae quidem actiones ejus officiis vacare debeant. Haec una virtus est, quae non solum humana omnia, sed etiam divina regit, gubernat, administrat. Nam qua ratione coeli perpetua conversio cuncta moveret, et quaecunque in terris vivunt, progigneret; quo pacto signorum ortus et obitus definitum quendam ordinem continenter servarent, ut annuae commutationes semper eodem modo fierent, atque ad utilitates rerum omnium accommodarentur; nisi motori suo primo semper obedirent! Quid? in civitate, quae recte solet administrari, an non cives omnes ita affectos esse oportet, ut prudentiores et sapientiores semper audiant, ut magistratibus omnibus in rebus pareant, ut sese legibus submittant? Quae domus necessariis rebus instructa atque apparata reperiri potest, in qua non omnes et patri familias et iis, quibus est familiae cura demandata, diligentissime

pareant? Quid in navibus, an aliter optime cursum suum conficere possunt, nisi perito gubernatori nautae omnes obediant? Jam vero tota fere militaris disciplina constat obedientiâ. Quis enim quantumvis sapiens et callidus imperator exercitum commode regere, munia belli obire potest, cui non milites ad nutum praesto adsint? Itaque non sine causa veteres illi Romani virtutem hanc tantopere servandam esse censuerunt, ut ne rem publicam quidem egregie gerere, violata obedientia, voluerint, inobedientes autem tanta dignos esse poena putaverint, ut ne parentes quidem propriis filiis, mandata transgredientibus, etiamsi rectissime se gessissent, ullo modo parcerent. Quis enim non audivit, a Manlio Torquato proprium filium securi percussum fuisse, non alia de causa, nisi quia adversus edictum suum, qui consul erat eo tempore, cum Geminio Metio, Tusculano, se ad singulare certamen provocante, congredi non dubitasset, quamvis insignem interfecto Geminio victoriam reportasset? Quis nescit Fabium Rutilianum, Magistrum equitum, vix totius Senatus et universi populi Romani precibus L. Papirii Cursoris eripi severitati potuisse, quoniam ei denunciaverat, ne, se absente, cum hoste manum consereret, quamvis ingentem Samnitum exercitum profligasset? Quanto igitur severiores in eos fuissent, qui non obediendo peccassent, cum tam atrociter eos, qui bene rem gessissent, puniendos esse censerent? Quid autem in privata vita, quantam non tantum a filiis, sed etiam ab omnibus communiter adolescentibus obedientiam exigebant? quamvis ea natura praediti vere omnes essent eo tempore juvenes, ut natu majoribus libentissime parerent; ut eos non aliter atque parentes observarent, et virtutes eorum imitari studiose conarentur. Qua de causa fiebat, ut frequentissime filii non tantum parentum gloriam rebus suis praeclare

gestis adaequarent, sed etiam longe superarent: quod certe nunquam ullo modo facere potuissent, nisi praeceptis eorum, qui recta atque honesta proponebant, obtemperare studuissent. Est enim aetas ista juvenilis maxime consiliorum inops, ut non facile, quid rectum pravumve sit, per se dijudicare possit. Itaqne bene moratus atque ingenuus adolescens optimis semper consiliis aures patefaciet: ut, quoniam nondum in primo bonitatis gradu consistere potest, in quo statuuntur illi, qui per se, quae recta sunt, intelligunt et faciunt, at in secundo saltem esse possit, ne prorsus inutilis efficiatur. Sic enim Hesiodus:

Felix qui potuit per se cognoscere, vita
Quaeque sequenda foret, quaeque effugienda vicissim.
Fortunatus et ille, audit qui recta monentem.
Qui vero per sese ignarus, honesta docentem
Negligit, ille sibi prorsus et inutilis orbi est.

Nihil igitur eorum omnino, quae recte praecipiuntur a quovis homine, contemnere debet adolescens: sed inprimis, ut fidelissimis atque amantissimis parentum praeceptorumque consiliis pareat, oportet. Neque enim minus ab eo, qui plurimum in literis proficere studet, praeceptores, quam parentes amandi sunt: quoniam hi nobis tantum vitam tribuunt, illi vero dignitatem et gloriam, quam plurimi cum vita commutarunt: hi corporis curam suscipiunt, illi autem animorum; quos multo corpore praestantiores esse quis ignorat? ut non sine causa magnus ille Alexander multo se magis Aristoteli praeceptori, quam patri Philippo debere praedicaret: nam Philippus (ajebat) pater, ut essem, tantum effecit; Aristotelis autem, ut bene essem. Quin apud veteres Romanos illa erat adolescentium consuetudo, quam commendat etiam Quintilianus, ut non minus, quam studia, praeceptores amarent, et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium crederent. Itaque non immerito

majores suos summe commendat ille Satiricus et magnam eis felicitatem his quidem verbis precatur:

Dii majorum umbris tenuem et sine pondere terram,
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
Qui praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco!

Sit igitur hoc primum bonae spei juvenis officium, ut sese meliori semper judicio submittat; ut nihil suo consilio temere et arroganter gerat: ut obedientiam tanquam pulcherrimam morum reginam, sine qua nihil egregium praestare possit, amplectatur; ut denique parentes et praeceptores aeque sibi colendos et amandos esse censeat. Proximum est, ut quemvis omnino statuat aequo animo laborem sustinere. Quod quidem facile praestabit ille, qui literarum studia plurimum amare incipit, qui virtutis studio ducitur, qui dignitatis et gloriae splendore trahitur, qui denique nihil sibi praeter honestatem in vita magnopere expetendum esse existimat; hunc nulla difficultas ab instituto cursu revocabit; non libido ad voluptatem, non otium ad animi remissionem, non denique somnus ad quietem. Nihil est enim (ait Cicero), quod studio et amore effici non possit. Hic primus est ad omnem dignitatem atque amplitudinem gradus, si quis amore virtutis incendatur; quod in libris de Oratore Crassus apertissime declarat. Cum enim ab eo Cotta quaesivisset, quid sibi ad summam eloquentiam comparandam assumendum putaret, tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium et ardorem quendam amoris? sine quo cum in vita nihil quicquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur. Quin ad Brutum scribens idem Cicero, cum perfectum Oratorem formandum suscepisset, Magnum, inquit, opus omnino et arduum, Brute, conamur: sed nihil difficile amanti puto. Illud igitur

poëtarum princeps in pastoritio suo carmine vere scriptum reliquit: *Omnia vincit amor.* Atque ideo non sine magna ratione prudens finxit antiquitas non tantum homines ipsos, sed etiam Deos amori subjectos esse: quoniam nihil tam alte positum est a natura, nihil tam arduum atque eminens, quo studium et amor eniti non possit. Odit enim amor res turpes, viles et abjectas, amatque tantum pulchras, ornatas, magnificas. Hunc igitur vere divinum amorem studiosi juvenes colite, hunc quaerite, hunc amplectimini, hunc semel apprehensum nunquam postea dimittite: hic enim solus vos in agendis rebus cautos et prudentes, in disserendo subtiles et acutos, in dicendo graves et ornatos, in arduis negotiis fortes atque magnanimos efficiet: amore duce nihil erit, neque in humanis neque in divinis rebus, quod non facile scientia comprehendatis. Amor enim triplicem illum animi foetum invenit: quorum unus in cognitione rerum et in explicatione naturae positus est: alter in vita atque in moribus conformandis: tertius in disserendo, et quid verum, quid falsum sit, judicando. Amor invenit

errantem Lunam, Solisque labores,
Unde hominum genus, et pecudes, unde imber et ignes.

Amor totius mundi motus conversionesque perspicit, sideraque videt innumerabilia, caelo inhaerentia, cum ejus ipsius motu congruere, certis infixa sedibus: septem alia suos quaeque tenere cursus, multum inter se altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certi cursus sui spatia definiant. Amor initiorum et tanquam seminum indaginem movet, unde sunt omnia orta, generata, concreta, quaeque cujusque generis vel inanimi vel animantis, vel muti, vel loquentis origo: quae vita, quis interitus, quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio: unde terra, et quibus librata pon-

deribus, quibus cavernis maria sustineat, in qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expetant. Amor rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt, quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum ratio tamen mensque moderatur. Felicem eum certe animum, qui amore ductus in his habitat pernoctatque cogitationibus: felicem etiam, quem idem amor a rebus occultis et ab ipsa natura involutis ad vitam communem adducit, ut virtutem solam amplectatur, cui, (quod ait Plato) quicquid auri vel supra terram est vel sub terrae visceribus occultatur, nequaquam satis digne conferri potest: quam Orpheus Heroum matrem appellavit, de qua Solon exclamat: *At nos non commutabimus virtute divitias*: quam se ipsâ contentam ad bene beateque vivendum Stoici contendunt: quae semper libera, semper invicta, semper amabilis, semper clara aeternaque habetur; cujus denique forma et tanquam species, licet oculis non cernatur, admirabilem tamen amorem excitat sapientiae, qui solus mentem atque animum mirandum in modum accendit ad id investigandum, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis ultimum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio deligenda. Docet idem amor, res singulas definire, genera dispertire; perfecta concludere, vera et falsa dijudicare; praeterea congruenter et cum ratione loqui, veterum monumenta atque omnem antiquitatem evolvere, Musarum domos ingredi, Poëticamque suavitatem degustare; apte, distincte atque ornate dicere. Quid, quod etiam ad tuendam rem publicam idem amor transit? quo nihil in magno viro casusque omnes humanos despiciente potest esse praestantius; qui non propriam sed communem civium utilitatum spectet, religionem observet, pietatem colat, amicitiarum fructus persequatur: quibus ex rebus tam ingenua delectatio,

tam digna sapiente homine jucunditas percipi solet, ut nulla pene vita possit esse beatior. O vere sanctum atque admirabilem hunc amorem! O mira hujus amoris opera! O summam divinae mentis providentiam, quae nobis hunc tam excellentium rerum amorem immisit, quo duce nihil est, quod assequi non possimus! Haec investigate, per Deos immortales, quaerite, percipite, vos qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis: haec ampla sunt, haec divina, haec immortalia: haec fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Cur adhuc cessatis? cur tam tardi estis? quid est, quod vos a tanta laude revocet? a tam precioso thesauro distrahat? a tanta felicitate remoretur? Vos, vos appello, praestantes ingenio adolescentes, qui magnam de vobis spem atque exspectationem concitastis: quid est, quod institutum iter tam pauci perficitis? cur in medio cursu deficitis? cur tam frequentes diversam ab his disciplinis viam capitis? An vos fortasse deterret difficultas? labor debilitat? Equidem, adolescentes, hanc ego viam si aut asperam atque arduam, aut plenam esse difficultatum et laborum negem, mentiar: praesertim cum id non modo jampridem intellexerim, sed etiam quotidie sentiam. Magno enim animi robore (mihi credite) opus est, magna indole virtutis et continentiae respuendae sunt omnes voluptates; omittenda sunt studia delectationis, ludi, joci, convivia; omnis vitae cursus in labore atque in animi contentione conficiendus est. Verum ille, quicunque fuerit, Poëta rectissime dixit: Si te id quod multi invideant multique expetant, inscitia sit, postulare: si tu laborem, summa, cum cura efferas nullum. Nam ratio illa sempiterna, quem Deum vocamus, qui procurat coelestia maxime, deinde in terris, quae ad usum hominum pertinent, ut excelsos animos ab abjectis, industrios ab ignavis, excitatos a remissis

discerneret, huic naturali, quo trahuntur omnes, cognitionis amori comitem voluit laborem adjungere, ne, si forte facilis et plana virtutis esset atque doctrinarum via, tardissimus eam et ignavissimus quisque posset ingredi, atque ita nulla forent industriae, studio, labori, diligentiae separatim proposita praemia. Nunc autem cum nemo dulcissimos virtutis fructus (ut appellat Isocrates) percipere possit, nisi prius amaras ejus radices gustaverit; facile generosus atque excellens adolescentis animus, quem (ut ait Seneca) labor ipse nutrit, qui noctes et dies gloriae stimulis concitatur, quem nulla difficultas deterrere, nulla vis labefactare potest, emicat ipse per sese, splendetque praeter caeteros, velut inter ignes Luna minores, quemadmodum ait Horatius: cum interim tenebricosus ille alter ignavia projectus, lutulentis in vitiis, tanquam sus in volutabro coeni jaceat; nihil aliud, quam truncus quidam, ac putrida caro, saturandis vermibus reservata: qui nunquam se erigat, nunquam resipiscat, nihil homine dignum cogitet: sed stupore quodam inertiae pressus quovis modico labore frangatur. Hoc est, quod egregius Poëta suavi cantu clamat Hesiodus:

Angustum collem, tenuis quo semita ducit,
Ipsa colit Virtus, magno stipata labore.
Sic voluere Dei: sed summo in vertice montis
Planicies ignota jacet, tutique receptus,
Semper ubi fessa poterunt requiescere mentes;

quod Homerus herbae suae Moly, quae contra Circes veneficia tantum valuit, ut Ulyssis socios ex belluis iterum in pristinam hominum formam reduxerit, candidum quidem florem, sed nigram radicem attribuit; quod Maro noster aureum illum ramum, sine quo nemo potest eorum, qui ad inferos descenderint, revocare gradum superasque evadere ad auras, ait

latere arbore opaca, et ab omni luco tegi, et ab umbris claudi in obscuris convallibus; quod divinus Plato saepissime repetit: *Difficilia quae pulchra*; quod Euripides, *Sine labore felicem fieri posse neminem*, affirmat. Nam Heraclides Lycius (ut in vita Sophistarum ait Philostratus) unum de laboris laudibus librum edidit, sine quo dicebat nihil in rebus humanis frugiferum, nihil utile, nihil laudabile geri posse, adeoque probari, ut vanus etiam labor, modo non viciosus, ocio ac deliciis sit anteferendus. Lassus Herminoneus interrogatus, a quo sapientiam didicisset? a labore, inquit, atque experientia. Sensit vir prudentissimus, non quovis modico labore sapientiam posse comparari; sed eo, qui tam assiduus et diuturnus sit, ut usu frequenti rerum prope omnium peritiam nobis afferret. Hic est ille labor, quem Euripides gloriae parentem esse dicit, de quo Sophocles intelligebat, cum ait: *Laborare eum opus est, qui fortunam habere prosperam cupit.* Quod idem his fere verbis Theodectes approbat: *Qui laudem et gloriam consequi studet, eum magnos subire labores oportet.* Vita enim ociosa praesenti quidem fruitur voluptate, sed dolores postea solet afferre maximos. A. Gellius Catonis haec verba recitat, ex oratione, quam ad equites habuit Numantiae: *Cogitate cum animis vestris: si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet; bene factum a vobis, dum vivetis, non abscedet: sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.* Alexander ille Magnus frequentissime dicere solebat: *Laboribus innutriri, Principe rem prorsus esse dignissimam.* Cleanthes cum ab adolescente quodam Lacone probari laborem audivisset, statim Homeri carmen illud subjecit:

Macte puer virtute, et nate ex sanguine claro.

Sed quid pluribus exemplis aut testimoniis opus est?

cum pleni sint omnes scriptorum libri, omnes sapientum voces: quae clarissime testentur, rem tam necessariam esse laborem, ut sine eo nihil omnino laudabile possit acquiri: quo fit, ut vulgare proverbium illud non frustra jactari videatur: *Qui vitat molam* (ajunt) *vitat farinam.* Quamobrem duae res potissimum in eo adolescente esse debent, qui virtute sua sit aliquando se suamque familiam plurimum illustraturus, hoc est, Amor et Labor: quas quidem ambas non sine magna ratione majores nostri uno *diligentiae* nomine comprehendi voluerunt: quoniam in eis tantum rebus excellere possumus, quarum studium amamus atque unice diligimus. Est enim ea diligentia, quae ingenium ipsum ex tarditate incitat, quae cum omnibus in rebus, tum in literarum studiis plurimum valet; haec praecipue colenda est nobis, inquit Antonius apud Ciceronem; haec semper adhibenda; haec, nihil est, quod non assequatur. Nam quaecunque sunt in cura, attentione, animi cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, uno verbo diligentiae complectimur; qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. Sed qua ratione tandem hanc diligentiae virtutem amplectetur adolescens? Certe si spem animo firmam conceperit, fore ut aliquando laborum suorum praemia consequatur. Omnes enim (ut ait Democritus) labores tunc jucundiores esse solent, cum illa se adepturos homines sperant, propter quae laboraverunt. Nam diffidentia plerumque (quod ait Imperator Justinianus) a discendo juvenum animos avertit: sed ea numquam fere constantem et excelsum animum attingit, qui, non aliter atque palma solet, contra impositum onus semper assurgit, et non modo laborum atque vigiliarum difficultate, sed ne morte quidem ipsa terretur; quem,

Si fractus (ut ait Horatius) *illabatur orbis,*
Impavidum ferient ruinae.

Sed quoniam inter mortales pauci admodum tam erecto tamque firmo sunt animo, ut penitus contemnere ac pro nihilo habere labores possint, multique suis viribus tantopere diffidunt, ut numquam, etiamsi plurimum laboraverint, ad summam eruditionem se perventuros sperent; vel quia parvo se esse ingenio neque admodum tenaci memoria putant; vel quia tam varias et difficiles percipere disciplinas, tamque multa cognoscere, non humanum, sed divinum esse potius existimat, atque ita quos praestare doctrina vident, potius admirandos, quam imitandos arbitrantur: his etiam, si fieri potest, oratione mea conabor aliquam afferre medicinam. Ac primum quoniam nulla tanta est humilitas, quae dulcedine gloriae non tangatur; volo, sibi proponat adolescens, quam pulcrum sit aliis excellere, quam turpe labi, errare, decipi: volo, credat atque persuasum habeat, falsam omnino querelam eorum esse (quemadmodum testatur etiam Fabius), qui paucissimis hominibus vim percipiendi, quae tradantur, esse concessam dicunt, plerosque vero laborem et tempora tarditate ingenii perdere. Nam sicuti aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur: ita nobis propria est (inquit) mentis agitatio, atque solertia: unde origo animi coelestis creditur. Hac de causa fit, ut animus hominis (quod ait Seneca), quicquid sibi imperavit, obtineat. Itaque non est, quod quisquam, desperatione debilitatus, a literarum studiis animum avertat, sed par est, omnes (ut ait Cicero) omnia experiri, qui res magnas et magnopere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet, teneat tamen eum cursum, quem poterit: prima enim sequentem, honestum est, in secundis tertiisque consistere. Neque ita multo post ait idem Cicero: Non est, cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt, spes infringatur aut

languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: et in praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Sed certe nunquam attinget eum desperatio, qui frequentissime cogitabit, quid possit qualibet in re quantulacunque sedulitas: qui silices itinere formicarum attritos videat: qui non ignoret, id esse verum, quod Tibullus ait:

Longa dies molli saxa peredit aqua:

qui sapientum in hanc sententiam dicta saepius animo revolvat. Nam Democritus frequentissimis solebat usurpare sermonibus, diligentia atque exercitatione longe plures, quam natura praestantes fieri. Et Epicharmus idem fere praedicabat; *Multo plura bona mortalibus a diligentia*, *quam a natura*, *donari.* Sed diligentiae vim atque potestatem clarius expressit Antiphanes, cum dixit: *Nihil esse*, *quod brevi tempore non sibi diligentia subjiciat*, *et in servitutem redigat.* Menander etiam ait: *Nihil tam difficile est*, *quin investigari quaerendo possit.* Et Philemon, *Omnia possumus*, inquit, *invenire*, *si laborem eum*, *qui rebus quaesitis adest*, *subire voluerimus.* Quid? an non etiam Maro noster quasi voce magna clamat?

Labor omnia vincit
Improbus et duris urgens in rebus egestas.

Quam igitur angusti, quamque pusilli animi judicandum est, desperatione frangi atque debilitari; cum tanta sit industriae, tanta laboris vis, ut nihil tam arduum, nihil tam difficile sit, quod assequi non possit! Haec profecto spes perveniendi, quo velis, maxime animum excitare atque alacriorem ad subeundos labores efficere solet, cum praesertim, quae labores sequi solent, praemia tibi proposueris, divitias, honores, dignitates, gloriam, nominis celebritatem, quam non sine causa veteres Musarum nutricem esse dixerunt, quoniam ea maxime omnium

generosum animum accendit. Hoc est, quod Valerius Flaccus ait:

Tu sola animos mentemque peruris gloria.

Sed multo etiam magis inflammatur alterius aemulatione, quem in magno esse honore viderit. Itaque vir gravissimus, et princeps Graeciae Themistocles, cum nocturno tempore per civitatem vagaretur, interrogatus, cur id faceret, *Miltiadis*, inquit, *tropaee nequaquam me dormire patiuntur.* Quin etiam Julius Caesar, cum Gades pervenisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri statua, vehementer ingemuit, quod aetate illa nihil memorabile gessisset, qua jam Alexander orbem terrarum pene subegerat. Quid Demosthenem, asotum primo puerum et deliciis affluentem? an non Cleostrati rhetoris gloria sola commovit, ut sese eloquentiae studio traderet, in qua deinde facultate primas obtinuit? Tantam enim haec gloriae cupiditas in animo sedulitatem, tam incitatum studium, tantam curam ingenerat, ut quivis labor quodammodo suavis ac dulcis esse videatur, atque etiam saepe, licet gravis sit, non sentiatur. Unde vere Ovidius

Et non sentitur sedulitate labor.

Plurimum etiam laboranti juveni proderit ea cogitatio, si reputet animo suo, laborem quotidie fieri leviorem, foreque ut in maximam brevi tempore voluptatem convertatur. Ideo Pythagoras nos hortatur, ut optimam vivendi rationem a pueritia statim complectamur: quoniam, etsi difficilis initio videtur, eam tamen postea jucundam consuetudo reddere solet. Quin etiam, immortales Deos laborantibus adesse atque eos sublevare, persuasum est. Atque idcirco dixit Euripides: *Deus libenter*, *qui laborant*, *adjuvat.* Quid, quod eximiam quandam post se jucunditatem relinquere labores solent: ut etiam proverbio dicatur: *Jucundi acti labores:* et, *Suavis est laborum praeteri-*

torum memoria. Quod sane eleganter his verbis affirmat Seneca:

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.

Itaque Philemon, cum laborum suorum fructus uberes suavesque perciperet: frequenter exclamabat: *O jucundos adolescentiae meae labores; nam nisi eo tempore laborassem, nunc certe tantas animo laetitias percipere non possem.* Aeneas autem ille Virgilianus majorem excogitare consolationem non potuisse videtur, quam cum sociorum animos ad spem futuri temporis his verbis excitat:

- - revocate animos, moestumque timorem
Mittite: forsan et haec olim meminisse juvabit.

Quia si frequenter animo volvas et diligenter cogites: opifices parvi lucri causa vigilare, laborare, nullum diei neque noctis partem quieti tradere, mercatores maria pertransire, labores immensos tolerare, maxima subire pericula, assidue de vita periclitari, agricolas nunquam cessare, magnos aestus, immensa frigora, famem, sitim continenter perpeti, milites plenam aerumnarum vitam agere, assidue sub pellibus esse, algere, aestuare, ad mortem ante oculos positam parva mercede conduci: tibi vero bonarum artium studioso et vitam longe quietiorem et multo ampliora praemia esse proposita: quantam tibi laborum allevationem poterit haec afferre cogitatio! Quid, cum circulatores et praestigiatores circumforaneos videas, longa exercitatione res tam arduas et admirabiles, quae tamen nullius omnino sint utilitatis, efficere, ut alii per extensos funes cursitent, alii per gladiorum aciem ambulare non extimescant, alii distantia tecta saltu transiliant, alii denique multa incredibilia faciant, ut reliquis voluptatem, sibi victum acquirant: nonne tibi tandem turpissimum esse putabis, non iis in studiis assidue vigilare atque insudare, quae res omnes et actiones humanas praestantia

superent? Quid si apum in conficiendo melle, quo vescantur, industriam consideres: quid si formicas, non tantum interdiu, sed etiam noctu laborantes adspicias: et tam assiduas in opere esse, ut itinere suo silices etiam atterant: nonne statim tibi veniat in mentem, multo magis homini, cum ut res sibi necessarias paret, tum ut ceteros antecellat, in optimis artibus esse laborandum? Optimum, ajunt, obsonium est labor senectuti. Quare pulchra quadam translatione juvenes ad laborem hortatur Hesiodus, cum ait:

Æstas non semper fuerit, componite nidos.

Sed longe lepidius ille fabulator e Phrygia declaravit, eum in senectute frustra caeterorum opem implorare, qui non in juventute laboravit. Quadam (inquit) hieme cicadae, prope inedia confectae, precario cibum petentes, ad formicas accesserunt: eas autem interrogarunt formicae, Cur non aestivo tempore sibi victum ad annum proximum praeparassent? Hic illae, Non licuit, inquiunt, nobis, quoniam musicae per aestatem operam damus et suaviter canimus. Tunc formicae: Ergo si, quo tempore laborandum est, ocio indulgetis et canitis, nunc aliud vobis nihil superest, nisi ut saltetis: nos enim nobis tantum, non etiam vobis, laboramus. Haec omnia diligens ille, quem quaerimus, adolescens, animo reputabit; et viam, quae ad opes et gloriam proxima est, arripiet: quemvis subeundum sibi esse laborem statuet: attentissime literarum professores audiet: omne scriptorum genus excutiet: neque unquam, quantum didicerit, sed quantum adhuc ignoret, considerabit. Frequenter etiam id in memoriam revocabit, quod vere Plato tradit in Theaeteto: *Corporum* (inquit) *habitus quiete atque ocio corrumpitur, exercitatione vero atque motu magna ex parte conservatur: eodem modo animi habitus disciplina atque meditatione, qui motus quidem in scientiis sunt, servatur evaditque melior;*

ocio vero, quod ab omni meditatione disciplinaque vacatio est, neque discit quicquam, et, si qua didicerit, obliviscitur. Statuet etiam, nihil omnino sibi esse negligendum, quod ad eruditionem augendam aliquo modo pertineat, etiam si minimum esse videatur. Recte enim Hesiodus:

Si paulum paulo addideris, pergasque frequenter
Hoc facere: exurget magnus tibi forsan acervus.

Nunquam omnino sibi remittendam esse diligentiam putabit. Ut enim remiges, quanto saepius remos inhibuerint, tanto tardius ad portum perveniunt: ita juvenes, quanto studia saepius intermittunt, tanto minus proficiunt. Sed inprimis cavebit idem diligens juvenis, ne ad expertas olim voluptates aliquo modo retrahatur, servetque majorum praeceptum illud, qui discipulis suis imperabant, ne omnino respicerent, et Pythagorae, qui quodam in symbolo suo per eandem viam reverti prohibet. Ita enim in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, ut, cum quis eam respicit, non facile deinde possit ab ea divelli, sed ejus desiderio quodammodo contabescat et omnes honestas actiones derelinquat. Quod elegantissima sane fictione Poëtae nobis declarant, cum ajunt, a Proserpina datam Orpheo legem hanc fuisse, ut, si vellet Eurydicen suam secum ad superos reducere, non eam prius adspiceret, quam in patriam reversus esset; tunc enim futurum, ut ejus complexibus, quantum vellet, frui posset: at ille, cum nondum iter inceptum perfecisset,

Restitit, Euridicenque suam jam luce sub ipsa,
Immemor heu, victusque animi, respexit! ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Foedera. Quod ne nobis etiam accidat, optimi juvenes, magnopere cavendum est: ne, dum fugacem Eurydicen respicere et persequi studemus, gloriosam

illam et immortalem, quam ex laboribus et praeclare gestis rebus emanare scimus, voluptatem amittamus. Moveant igitur nos immensa virtutum atque disciplinarum praemia: moveant majorum exempla, qui tanto scientiae ardore flagrabant, ut nunquam studia literarum intermitterent: quia tempus omne perire existimabant, quod literarum studio non impenderent. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae, qui vehementer se dolere dicebat, si quando opificum antelucana victus sesset industria? Quis Pythagoram, Platonem, Democritum, Anaxagoram non audivit acquirendae doctrinae gratia totum pene terrarum orbem peragrasse? Quis Solonis perpetuam in discendo diligentiam, Euclidis audentem animum, Chrysippi labores, Carneadis industriam non vel legit vel audivit? Quis Cleanthem et Xenocratem nescit, hebetes et tardissimo ingenio viros, tamen infinitis prope laboribus effecisse, ut inter clarissimos sui temporis Philosophos haberentur? Quid de Catone Censorio dicam? qui extrema senectute Graecas ediscere literas voluit, imitatus Socratem illum Atheniensem: quem tradunt admodum senem fidibus discere voluisse, satius esse praedicantem, quamvis ingenuam artem sero, quam nunquam percipere. Sed mehercule mihi tempus deficiet, si minimam eorum partem recensere velim, quorum in scientiis percipiendis ac momoriae prodendis immensus labor atque industria celebratur. Quorum hominum vestigia qui non omni studio sequuntur, nullo modo fieri potest, ut ad amplissimos dignitatis gradus perveniant. Quare vobis, egregii juvenes, haec exempla frequenter oculis obversentur; atque ipsa vos doctrina suis illecebris trahat ad verum decus, quae, quasi ex alto loco jucundissimaque voce ad sese invitans atque alliciens, ita proclamat: O quicunque magno atque excelso animo estis, quos illa praepotens et gloriosa felicitatis via delectat, qui

omni laude praestare atque excellere pulcherrimum esse judicatis: huc ad me toto animo remis velisque contendite, huc vestrae mentis aciem dirigite, huc omni cura studioque properate! Vobis enim ego, quicquid in vita laudabile atque expetendum est, condonabo, rerum omnium intelligentiam, dicendi vim atque facultatem, agendarum rerum prudentiam, opes, amicitias, dignitates, gloriam, immortalitatem. Vestrum ego animum, qua nulla pars hominis praestantior est, veris illis ac preciosis bonis exornabo, temperantia, pietate, justitia, fortitudine, modestia, virtutum omnium cumulo, rerum denique omnium honestissimarum amore. Haec enim sola certa animi atque inviolata sunt ornamenta. Ego vobis eximia veterum exempla, qui me duce super astra volarunt, imitanda proponam; vobis antiquorum non tantum res egregie gestas et admirabiles actiones, sed etiam orationes atque verba declarabo. Nihil omnino, si me sequi volueritis, vel eorum, quae priscis illis temporibus acciderunt, vel quae facienda sunt hoc tempore, vel quae in posterum prospicienda, vos fugiet. Atque (ut breviter dicam) quaecunque in divinarum atque humanarum rerum cognitione posita sunt, ea vos ego brevi tempore condocefaciam. Quod si quis vestrúm in praesentia pauper aut ignobilis est, eum ego non ita multo post non solum divitem et illustrem, sed etiam admirabilem et pene divinum efficiam. Nam, mihi credite, juvenes, si vobis ego lumina mea praetulero, nemo sibi quaerendum existimabit, quam alto loco aut quam illustri genere nati sitis. Sed omnes certatim vos honorabunt, laudibus ad coelum ferent, et inter optimos atque clarissimos viros enumerabunt; quin etiam ii, qui divitiis et nobilitate praecellunt, et vos magnopere suspicient, et secum habere quam frequentissime concupiscent. Non vobis divitiae, non preciosae vestes, non argenti, non

auri copia deerit. In patria vestra magistratus, imperia, praefecturas facile consequemini. Si quando peregrinari nationesque exteras adire volueritis, talia vobis insignia circumponam, ut non obscuri aut incogniti, sed apud omnes, etiam infimi generis, homines notissimi esse videamini. Nam quicunque vos adspiciet, statim eum, qui proximus erit, cubito commovens, digito vos commonstrabit, et de unoquoque vestrûm dicet: Hic est ille. Quod si quid aut inter amicos, aut in civitate, grave magnique momenti forte contigerit, vos solos omnes intuebuntur, ad vos tanquam ad oracula quaedam confugient: et si quid in concione forte dixeritis, ab ore vestro pendens admirata multitudo cum attentione vestram orationem audiet; vosque prorsus felices ac beatos, quod tantum dicendo valeatis, existimabit. Quanti vero illud aestimandum est, quod etiam ego sola praestare facile possum, ut, cum ab hac vita migraveritis, aevo sempiterno beati perfruamini: neque tamen vestri memoriam unquam delebit oblivio, sed per hominum ora perpetuo volitet; ut nunquam vos inter eruditos versari, et cum optimis viris colloqui desinatis? Videtisne Demosthenem, illum cultrorum fabri filium, quantum ego tamen oratorem effecerim? Videtis Æschinem a tympanistria natum, quem tamen rex Philippus propter me coluit? Videtis Socratem statuarii filium, qui me duce sapientissimus omnium, vel Apollinis judicio, factus est? Quid Euripidem olitorem? quid Homerum, spurium, coecum, mendicum, et obscurissimo loco natum commemorem? Quis M. Tullium Ciceronem, novum hominem, a parvis initiis ad summum imperium et consularem dignitatem evexi? An non ego? Quis Virgilium figuli filium et Horatium libertinum Maecenati primo, deinde etiam Augusto Caesari tantopere commendavit? An non ego? Quis Nicolaum Quintum, humillimo loco natum et

terrae (quod ajunt) filium? quis Innocentium Octavum, mercenarium hominem? quis Pium Secundum, ostiatim primo cibum emendicantem, ad Pontificatum maximum provexit? An non ego? Et quisquam adhuc erit, qui dubitet me rebus omnibus anteponere, de me noctes et dies cogitare, mei curam nunquam intermittere, propter me labores, vigilias, pericula, detrimenta, rei familiaris jacturam, sitim, inediam, sudores, frigora constanter tolerare! cum apertissime videat, eam esse vim ac potestatem meam, ut ex abjectissima conditione hominem ad eam amplitudinem atque excellentiam extollam, ut, tanquam immortalis quidam deus, inter homines versari videatur. Haec atque hujusmodi plurima verba Doctrinam ipsam vobiscum assidue facere, Juvenes optimi, cogitate: neque tam humaniter, tamque liberaliter ad sese vos invitantem despicite: sed constanti atque alacri animo per eam, quam paulo ante monstravimus, virtutis viam omni cura, studio, labore, diligentia properate: quo citius his tam amplis, tam divinis, tam immortalibus doctrinae muneribus, tandem aliquando summa cum laetitia atque voluptate perfrui possitis. Dixi.

XVIII

PETRI JOANNIS PERPINIANI
ORATIO
DE
ARTE RHETORICA DISCENDA.

Spectatum satis et donatum jam rude quaeris
Maecenas iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem est aetas.

Licet enim mihi, Patres religiosissimi, versibus iisdem affari auditores meos, quibus affatur Maecenatem suum ille bonus poëta, non eadem religione, neque iisdem praeceptis imbutus, quibus nos sumus, sed eruditus tamen et urbanus, et leporis cujusdam non ingrati plenus. Tametsi et sentio et fateor, neque in me esse quidquam hominum cognitione dignum, neque rudem unquam ignavum gladiatorem meruisse, verum et hoc, quidquid est vel ingenii vel doctrinae, quod video quam sit exiguum, tot annorum curriculo satis superque cognosci potuit; et ludo nostro praefecti, homines mites et humani, me, quamvis non merentem, optato otii et tranquillitatis praemio donandum esse censuerunt: nec forte injuria. Nam si veteri gladiatori, fixis armis ad valvas Herculis, in agrum secedere licebat, ne populi misericordiam, quam saepe jam esset in arena consecutus, denuo efflagitare cogeretur: mihi certe, tanto meliorem artem factitanti, qui tot annos fuissem in hoc oratorio certamine versatus, toties depugnassem, toties populi non modo veniam, sed etiam benevolentiam obti-

nuissem, idem tranquillioris vitae recessus concedendus fuit, ubi paulisper animus ex illo populari strepitu recrearetnr. At nunc sive studiis vestris, sive eorum imperio, quibus parere debeo, sive utroque ad antiquum ludum revocatus, ecce rursus in arenam descendere, arma jam pene rubigine confecta capere, multitudinis gratiam aucupari cogor, si cogi dicendus est is, qui libenter vel roganti morem gerit, vel obtemperat imperanti. Utinam adolescentes optimi, utinam eadem esset, quae quondam erat, vis corporis ad elaborandum, ut eadem mens est, eadem voluntas, idem studium, quod semper fuit, ad parendum: minus mihi fortasse tam longo uti principio necesse fuisset; sed NON EADEM EST ÆTAS, non idem robur, non eadem valetudo: quae debilitata et fracta animum quoque ipsum imbecilliorem reddunt. Quare non possum equidem non commoveri, cum illi praesertim hodierno die succedam, cui, ne si omnia quidem essent integra, me parem esse posse confiderem; quo mihi magis omnes orandi et obtestandi estis, ut hanc mediocritatem nostram vel potius tenuitatem et inopiam studio, alacritate, benevolentiaque vestra adjuvetis: quas ego res si mihi non deesse sensero, spero me diligentia compensaturum ingenii tarditatem. Quod si peregrina literarum appellatio et insolens, atque aliena vestris auribus gravium acutarumque vocum obseruatio alicujus animum offendet, eum ego oro atque obsecro, ne prius aut rideat, aut reprehendat, quam, cur ita quidque dicatur, acceperit; nihil enim erit, quod non aut multo rectius, aut nihilo certe depravatum magis esse demonstrem, quam quod homines politi et humani vulgo usurpant. Nunc antequam de Ciceronis libris, quos explanandos suscepi, ea dico, quae mihi vobis audientibus ex hoc loco dicenda esse arbitror, exponam brevi, quid de tota facultate dicendi, quam

omnes quaerimus, de artificio rhetorico, quod profitemur, deque ejus artificii tradendi ac discendi ratione sentiam; ut et omnium studia vehementius inflammentur, et via cognita facile possitis, quo intenditis, ac sine errore pervenire. Peto a vobis, adolescentes optimi, ut attente et amice accipiatis, quae dicam, neque humanitatis vestrae fontes, qui omnibus ante me bonarum artium studiosis maxime semper patuerunt, mihi uni clausos esse patiamini; facultas est enim ejusmodi, quae maxime debet animos omnium ad discendum impellere, sine quo neque hominum commune nomen cum dignitate obtineri potest, neque consilium sapiens ad populi salutem in medium proferri, neque religio a furioso hominum nefariorum impetu humanis opibus defendi, pro qua majores nostri iisdem, quibus hostes, eloquentiae septi praesidiis fortissime propugnaverunt. Et quoniam omnibus nobis enitendum est, ut dignitatem, hominibus praeter ceteras animantes divino munere concessam, ornavisse potius et amplificasse, quam vel abjecisse vel diminuisse videamur; adhibenda est vobis illa vis et omni studio ac diligentia comparanda, quae maximum et pulcherrimum Dei munus tuetur et exornat: quo neglecto non sane video, quid inter mutas belluas et homines intersit. Etenim duo sunt in nobis munera divina, utilitate magna, nobilitate prima, ipso genere praeclara, ratio, et quasi nuntius quidam rationis et interpres, sermo. Illa res abditas investigat, investigatas comprehendit, comprehensas digerit et componit, dissipata colligit, collecta dividit, praeterita recordatur, cernit instantia, futura conjectat, et extrema conferens primis, omnium rerum cursum et eventorum consequentiam notat, sed haec omnia veluti quibusdam obruta tenebris latent, inclusa penitus in pectoribus et animis nostris: quae, ubi lumen orationis accessit, tum demum ab omnibus patefacta et illustrata cer-

nuntur: haec duo sunt, quae nos homines reddunt: haec bestias longe nobis faciunt inferiores, quae tanta inter se naturae cognitione junguntur, ut, animantia rationis expertia significare volentes, muta dicamus. Rationem autem, ne fallatur, neque erret, disserendi vis, quam logicam vocamus, informat: at orationem, quo sit aptior ad persuadendum bene dicendi facultas, quam eloquentiam dicimus, verbis sententiisque locupletat. Quodsi vix eos homines esse ducimus, qui non studio et labore rationem meliorem effecerunt, quis non ab hominum societate removendos illos arbitretur, qui sermonem non excoluerunt, sine cujus luce illa vis ingenii mirabilis enitescere non potest? quis non eos muta quaedam hominum simulacra potius, quam homines appellet? quae si vobis, adolescentes optimi, turpia, contumeliosa, indignaque videntur, ut merito debent videri, statuite, quem vobis animum pro communi hominum dignitate suscipiendum putetis. Quam multi vulgo summopere contendunt, ut excitent celeritatem pedum? quam multi omne suum studium et operam conferunt ad augendum et confirmandum corporis robur? quam multi (quorum ego conditionem miserrimam duco) toti sunt in pulchritudine formae conservanda et adornanda occupati? atqui haec et alia generis ejusdem aut longe meliora sunt in bestiis quam in nobis, aut certe nobis communia cum illis; nos vero quod omnino nostrum est, quod hominum proprium nobis a Deo Opt. Max. concessum ad vitae societatem, ad communionem juris atque morum, ad mutuam vel voluptatem vel salutem, negligemus? non exornabimus? non expoliemus? in obscuro jacere atque obsolescere patiemur? Videte, ne, ut illi mundi creatori et parenti Deo gloriosum fuit, tantum nobis et tam optabile bonum impertiri, sic vobis turpissimum sit, acceptum ab illo munus industria tueri et ornare non posse. Quid?

quod superbissimo fastidio mortalium recte et sapienter cogitata, nisi lectissimis verbis gravissimisque sententiis ad aures perveniant, neque fidem faciunt neque in hominum mentes influunt neque animos quidquam movent neque memoriam gratam habent neque diuturnam? at quae jucunde audiuntur, etiamsi non salutariter dicantur, ea sic arripiuntur, ut prope ad aeternitatem inhaereant in pectore infixa. Quod si idem et sapienter et suaviter diceretur, quam assensionem hominum commoveret? quae studia excitaret? quantam efficeret admirationem? quam laetis acclamationibus omnium acciperetur? aut nulla profecto salus reliqua est afflictae ac prope desperatae rei publicae Christianae, aut haec una reliqua est (excipio semper auxilia coelestia, quae firmissima et certissima sunt, de humanis tantum opibus loquor) aut igitur nullum jam in hominum industria subsidium est aut hoc solum restat e multis, ut iidem et sapienter et copiose atque illuminate dicant. Sunt enim pleraque religionis nostrae decreta in speciem inculta et horrida, contra depravatas multitudinis opiniones a publico usu abhorrentia, huic corruptissimae naturae, profligatissimisque moribus omnium gentium maxime adversa: quae nisi splendescant oratione, et tanquam excolantur, et a populari sententia discrepantia populariter dicantur, possunt illa quidem divina vi, quae non est indigens humanarum artium, multitudini persuaderi, sed dicendo tamen in vulgus probari non possunt. Itaque videre est eos, qui nullum sequuntur florem orationis et Stoicorum more minutis quibusdam interrogatiunculis quasi punctis id, quod proposuerunt, efficiunt, ubi loci illi inciderunt, de abjudicandis facultatibus, de propinquis et amicis relinquendis, de oppetenda morte, de contemnendis honoribus, de voluptate fugienda, de amplectenda humilitate, de condonandis injuriis,

ita haerere, ut nescias, majorene odio digni sint, quod sua sponte faciant, quod bene facere non possint, an misericordia, quod infantiae suae miseri quam plurimo testes, non domestico suorum, sed publico totius multitudinis praeconio colligere conentur. Vitiosa plane res est, et hominum generi valde perniciosa, non tam quid dicatur, quam quo modo dicatur attendere. Sed quid cum populo agas? jam eo ventum est, ut nemo sit sola sapientia contentus, omnes eloquentiam requirant. Quando non possumus ceteros quales volumus habere, ne sit inanis omnis conatus noster atque labor, demus operam, ut simus nos tales, quales illi volunt: volunt autem vitae morumque magistrum esse non modo sapientem et probum, sed etiam copiosum et ornatum. Praeclare, ut mihi quidem videtur, sanctus Augustinus, nihil esse melius salubri suavitate vel suavi salubritate, quodam loco testatus est, et e quatuor libris, quibus doctorem Christianum omni laude cumulatum instituit, unum in eo consumsit, ut rhetorico prope more, quemadmodum inventa sint in lucem proferenda, demonstraret. Intelligebat ille vir eximia reconditaque doctrina, et in hac ipsa dicendi facultate multum exercitatus, quantum ea res momenti afferat ad hominum mentes vel a turpitudine revocandas, vel ad honestatem impellendas. Non dicam in praesentia, quantum eloquentia semper in omnibus liberis civitatibus dominata sit: praetermittam, quanto in pretio fuerit apud omnes nationes: non enumerabo honores et imperia hominibus eloquentibus nulla majorum commendatione mandata: silebo, quantas pecunias nonnulli sint veterum oratorum consecuti: ne verbum quidem unum de voluptate dicendi faciam: haec omnia facile patiar taceri apud tales viros, propterea quod vel ambitiosorum, vel avarorum, vel delicatorum hominum sunt magis, quam eorum, qui salutem

rei publicae Christianae omnibus et voluptatibus et utilitatibus suis et honoribus anteponant; hoc unum de tota facultate dicendi extremo loco dicam, quod et me semper ad studium incitavit, et apud vos homines amantissimos publicae salutis plurimum valere debet, et in animis omnium, qui rem Christianam salvam volunt, fixum esse par est ad memoriam sempiternam: si ad tuendum hominum nomen, atque ad animos multitudinis recte de religione sentientis pertractandos, nullus esset usus eloquentiae, qui certe maximus est: si nihil fructus haberet haec exercitatio, neque ad honores adipiscendos, neque ad augendas facultates, quae non magnopere debemus optare; si nulla esset delectatio dicendi, quae tanta est, quantam vix credere possint, qui non senserunt, tamen quia magnam vim habet ad veritatem oppugnandam, et adversus religionem administra saepe ac satelles ab improbis adhibita est et adhibetur, summum studium, omnem curam, operam, industriam in hac facultate comparanda figi oporteret. Video mirari vos, adolescentes optimi, eam a me causam afferri eloquentiae complectendae, quae ad deterrendos homines ab hoc studio vel sola plurimum possit. Quid enim est majore animi provisione fugiendum, quam quod veritatis et religionis oppugnatoribus quasi quaedam arma suppeditat? Accipite, obsecro, accipite alacri ac prompto ore ac vultu, quae dicam, et ea penitus mentibus vestris animisque mandate; ipsi profecto fatebimini, illud ipsum nobis optandum esse maxime, quod vehementissime nobis obsistat. Habet enim eloquentia vim talem, ut eadem de re duas contrarias orationes explicare possit: ex quo *δυνάμεως*, id est facultatis nomen accepit, non ut quidam philosophi ambitiosi tradiderunt, quod homines collocet *ἐν δυνάμει καὶ ἐξοχῇ*, hoc est, in potestate et exellenti dignitate. Eadem vera refellit et

confirmat, falsa et probabilia reddit et arguit, turpia vituperat et laudat, honesta commendat et accusat. Itaque ut ceterae artes ac scientiae, omniaque vel externa vel naturae bona, sic etiam vis eloquendi perinde est, ut ait comicus poeta, ut illius animus, qui eam possidet; qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala. Nam quod nonnulli nobilissimi rhetores eloquentiam virtutem esse contendunt, neque posse nisi in bono viro reperiri, optandum quidem illud est, sed parum verum; si enim virtutem eam vocant, quae, more perfecta, omnino bonos eos efficit, in quibus est, quid absurdius dici potest, quam eloquentiam hoc virtutis genere contineri? sin autem abutuntur virtutis nomine et absolutionem perfectionemque tantum cujusque rei significant, est quidem eloquentia virtutis in ratione posita, ut omnes artes ac scientiae; sed cum hoc genus virtutis non simpliciter bonos homines reddat, verum cum adjunctione, ut bonos rhetores, bonos dialecticos, bonos philosophos, nihil id obstat, quo minus et eloquentiam improbi habeant, et ejus viribus ad optimas quasque res labefactandas et evertendas abutantur. Vellem fecisset ille omnia continens et regens Deus, ut aliquanto minor exsisteret hujusmodi hominum multitudo; longe certe melius nobiscum ageretur. Ceterum quam multi apud majores nostros incredibili audacia et furore perciti, impias in Christum hastas non solum dialectica nervis, sed amentis etiam eloquentia contorserunt? quam multi nostra memoria perditi ac scelerati homines orationis copia tantum incendium excitaverunt, quantum, nisi Deus nos respexerit, vix multis annis bonorum virtus et industria possit restinguere? etiam nunc improbitate quorundam eloquentium et nefario conatu omnia divina et humana jura perturbantur, violantur, rescinduntur. Quid igitur est, quod in tantis malis ad retundendam

et frangendam eorum corroboratam jam vetustate audaciam facere debeamus, veritatis et religionis amatores? hoc unum opinor: arma impiis et perfidiosis extorqueamus e manibus, ut eisdem ipsi petantur telis, quibus nos oppugnant: et quoniam in utramque partem valet copia dicendi, ut eam haeretici transferunt ad Ecclesiam opprimendam, sic nos ad eandem fortiter defendendam convertamus; illi callide ac versute sese insinuant in gratiam audientium, et aditum sibi faciunt vel ad turpissimam causam; nos prudenter hominum nobis benevolentiam adjungamus, et ad tuendam religionem ac reprehendendos ipsorum errores communiamus viam; illi rem artificiose narrant ad fallendum, nos idem artificium narrandi ad homines falsa opinione liberandos adhibeamus; illi argute et veteratorie nostra refellunt, sua confirmant; nos limata et polita disputandi subtilitate et orationis acumine certissima patrum decreta comprobemus, illorum quasi delirantium somnia coarguamus; illi varie mentes auditorum versant et flectunt, simulata verborum et sententiarum gravitate, nos veris integrisque sententiis in omni amplificandi genere exardescentes, grandi, forti, et incitata oratione eorundem animos impellamus, ad quemcunque causa postulabit motum; illi pestiferum venenum tanta dicendi suavitate condiunt, ut mortiferum poculum haurire libeat audienti, nos remedia salutaria dulcissimo quodam genere sermonis temperata praebeamus, ut, quanto magis verborum et sententiarum dulcedine delectetur auditor, tanto ardentiore salutiferae potionis cupiditate rapiatur. Sic tandem, bene juvante Deo piosque conatus coelesti favore prosequente, fiet, ut armata veritas nullo negotio armatam vincat et jugulet falsitatem, cujus modo bacchantis impetum inermis et nuda aegre sustinet, quanquam fieri non potest, ut omnino veritas erroribus obruatur,

quae divina ope sine dubio pulchrior aliquando et clarior elucebit. Verum vos ejus alumni videte, quid pro communis parentis incolumitate vobis faciendum existimetis. Majores nostri, singulari religione et doctrina viri, eloquentiae copiis instructi nullam pro veritate dimicationem recusabant: semper in campo, semper iu acie, semper in sole ac pulvere versabantur: nos, illorum posteri, ne tantum sit adeundum vel periculi vel laboris, abjectis armis, in umbra atque in otio tempus omne consumemus? illi quo paratiores essent ad certamen, relicta patria, propinquis, amicis, orationis locupletandae et excolendae gratia, longinquas terras peragrarunt; nos ultro se offerentem dicendi facultatem domo prohibebimus? a nobis absterrebimus et excludemus? illi res multas atque divinas, magno labore quaesitas et inventas, quam elegantissima potuerunt oratione nobis tradiderunt: nos ignavia quadam et socordia languescentes, quae ab illis accepimus, deteriora tractando faciemus? illi partim philosophorum caecum impetum, partim haereticorum insanam rabiem copiose loquentis sapientiae telis a sacris repulerunt: nos manibus vacuis et inermes, hostes religionis, eversores sacrorum, praedones divini juris et humani, omnia convellere, dissipare, extinguere sinemus? magnopere verendum est, ne, ut illi et ingentem ab hominibus laudem et immortale a Deo praemium pro suo labore sunt ac diligentia consecuti, sic nos pro nostra desidia et ignominia notemur a posteris et sempiternis a Deo poenis vivi mortuique mactemur. Quare incumbite animis omnique voluntate, adolescentes optimi, ad eam facultatem, qua propria hominum dignitas, totius populi salus, verae religionis defensio continetur.

Dixi de ipsa eloquentia, quae visa sunt, nunc de artificio eloquentiae paucis absolvam, si me dicentem studium vestrum ad extremam orationem prosequetur.

Nam quoniam non ex artificio nata est eloquentia, sed, ut omnes confitentur, artificium ipsa peperit: magnique auctores inter naturam, imitationem, et exercitationem, quibus videtur bene dicendi vis satis posse perfici, vix ullum praeceptis reliquerunt et doctrinae locum, posset aliquis, quantumvis eloquentiae studiosus, contentus illis tribus, artem despicere, quam ad orationis copiam vel inutilem prorsus vel minus necessariam esse arbitraretur. Mihi vero multa de arte legenti, multa cogitanti, longe aliter videri solet. Sic enim statuo, quamvis plus adjumenti sit ad dicendum in illis tribus, vel singulis, vel universis sine arte, quam sine illis in praeceptis omnibus, tamen perfectam eloquentiam et omnibus numeris absolutam non posse exsistere sine ratione quadam et conformatione doctrinae; ars enim aut omnino tollit aut corrigit vitia naturae: quod vero est in ea boni, id auget ac melius reddit: eadem, in exercitatione et imitatione quid sequendum sit, quid fugiendum, docet; ut nemo ne illa quidem eloquentiae praesidia sine praeceptionibus artis possit habere perfecta; quanquam de imitatione verius dixissem, nullam omnino posse esse sine doctrina. Statum enim, aut motum, aut amictus, imitari alicujus, hoc non magnum est; illud praeclarum, imitando magnorum oratorum nervos, varietatem, copiam, filum denique ipsorum orationis expressisse. Haec autem quis unquam assequatur, nisi qui eorum et consilia investiget, et initia observet, et progressiones notet, et exitus intueatur? atqui haec observatio vel artificii tota est, vel a natura profecta gignit artem. Quantum igitur ad eloquentiam adjumenti affert natura, quantum exercitatio, tantum artificio debemus, sine quo illa aut omnino nulla sunt, aut perpolita esse non possunt: atque hoc etiam fortasse plus arti debemus, quod illa inchoant, haec eloquentiam perfecte absolvit. Nam

causae, cur quidque fiat, aut non fiat, cur hoc vitandum, illud persequendum, cur aliud laudabile sit, aliud vitiosum, cui praeter artificem nota sunt? aut ubi, nisi arte explicantur? qui vero non tenent causas rerum, eos multa facere necesse est non decore, multa stulte, multa prope dicam flagitiose. Ut enim illi medici, qui se empiricos esse profitentur, non cognitis morborum causis medicamentorumque natura, non possunt apte ad cujusque morbi vim varie commutare medendi rationem, et ea saepe faciunt, quae ad necandum potius, quam ad sanandum valere videantur, sic qui non adhibent artem ducem et magistram ad agendum, neque possunt pro causae natura omnibus modis torquere ac flectere dictionem suam, et multa saepe committunt vel vitiosissima in dicendo. Mihi quidem stomachum nonnulli aliquando movent, dum vel extenuant, quod amplificandum erat, vel quod erat diminuendum, augent, vel quae sunt contraria, maxime illustrant, vel ab aliqua similitudine semper exordiuntur orationem, cum illa fugienda sit in primo aditu, praeterquam in certis quibusdam causis: qui non mediocrem fuissent dicendi gloriam adepti, si vel hoc unum vitium cognitum vitare voluissent. Magna prorsus est haec utilitas, adolescentes optimi, magnus fructus artis et doctrinae: sed ille major, quod facit, ut ab eo, quodcunque nobis proposuerimus, minus aberremus. Et enim qui solis naturae adjumentis propter consuetudinem bene quid dicunt, quoniam id temere fortuitoque faciunt, non quoties volunt, idem efficere possunt: at vero qui viam certam rationemque sequuntur, nisi quid obstet extrinsecus, et quod volunt efficiunt et quotiescunque volunt. Quid enim existimatis esse causae, cur nonnulli oratores id facile semper assequantur, quocunque se mente ac voluntate conjecerint? alii vero saepe auditorum animos conati concitare vehe-

mentius, in medio cursu repente concidant? saepe argumentationem artificiose concludere volentes, inchoatam illam imperfectamque relinquant? saepe mirabilius aggressi locum aliquem ornare, consilio ac ratione subito deficiantur? saepe pro amore odium, pro admiratione risum commoveant, invidiam pro misericordia? nimirum illi boni artifices omnes dicendi vias et aditus pernoverunt: hi tametsi bene aliquando forte dicunt, tamen artis ignari, semper id paratum habere non possunt, ut empirici non perpetuo apposite curant ad sanandum, quia, dum medicinam spernunt, certi nihil habent, quod sequantur. Quapropter nemo rhetoricum artificium contemnat; nemo reprehendat; nemo se eloquentiam habere velle dicat, oratoria praecepta nolle cognoscere, cum sine his nullius oratio possit esse perfecta, nemo queat in locum principum oratornm pervenire.

Restat id quod in nostra partitione fuit extremum, ut de arte tradenda et discenda pauca dicamus. Tradendi ratione omnia praeceptoris officia, auditoris vero munera discendi modo continentur; quae non conabor universa complecti oratione, quod esset infinitum, sed ea tantum, quae magis necessaria videntur, breviter commonebo. Primum igitur ut in ceteris artibus, sic etiam in Rhetorica docenda spectandus est ordo, ac de ordine quidem tradendarum artium multa ex Platonicorum sententia, multa ex antiqua Stoicorum disciplina, multa ex Peripateticorum decretis hoc loco dici possent; verum ut rem longe lateque patentem modicis definiam angustisque regionibus, dico, post Grammaticam et Dialecticam, tum tertio loco Rhetoricam tradi oportere. Primus enim est naturalis usus sermonis, quem Grammatica instituit; eum proxime sequitur usus rationis, quem Dialectica confirmat; postremus est naturalis usus eloquentiae, qui praeceptis rhetoricis perpolitur, siquidem pueri

primum loqui incipiunt: deinde progrediente aetate rationem adhibent judicem ad unamquamque rem examinandam suoque momento ponderandam: tum ad extremum quae cogitarunt, verbis ac sententiis magnificentius aggrediuntur ornare. Illud omitto, Dialecticam, omnium artium comitem et administram, omnibus aliis antecedere debere, excepta una arte sermonis; praetereo illud quoque, rhetoricam inventionem et singulorum argumentorum dispositionem, cum sint magna ex parte propriae Dialecticorum, ejus artis ignaris recte tradi non posse: quae si persequi dicendo velim, facile ostendam, prius disserendi praeceptis informandam esse juventutem, quam oratoriis artibus instruatur. Ego vero, ut de me ipse confitear, non Dialectica solum, sed etiam universa Philosophia pertractata, tum demum ad ea cognoscenda me contuli, quae pertinent ad bene dicendum, non aspernatus rhetorum vocem, licet aures jam essent sapientissimorum hominum disputationibus assuetae. Quod si mihi uni, qua ratione vellem, omnes artes auditoribus meis tradere liceret, non alium ordinem sane, quam quem exposui, sequerer in docendo, sed quoniam aliud ab alio discendum est, et ad rhetoricas exercitationes cogimur omnes accipere sine delectu, qui jam aliquando loqui didicerunt, dabo operam, ut, quae a Dialecticis petenda sunt, neque omnino praetermittam, neque tam copiose explicem, quam illi solent. Ita fiet, ut et tantum intelligant auditores, quantum sit satis ad id, quod quaeritur, et unaquaeque disputatio integra suum in locum et tempus reservetur. Si qui tamen adsunt jam imbuti Dialecticis, qualem arbitror adesse non neminem, ii sperent multo se majores uno anno processus effecturos, quam antea multis effecissent. Illa porro a magistro hujus artis requiruntur: ne multa cujusque generis utilia, inutilia congerat in unum locum, sed delectum

habeat, utilia retineat, illa repudiet, quae nihil aut parum profutura videantur: ne in alienis refutandis diutius commoretur; ne minutis ac spinosis disputationibus ingenia discipulorum attenuet; ut egregium aliquem oratorem proponat ad imitandum, et in eo quae maxime excellant, sedulo demonstret; ut eos crebris exercitationibus ad omnem dicendi copiam, varietatem gravitatemque traducat: exercitationes autem sint principio minores, quotidianoque sermoni proxima; deinde quanta ad facultatem adolescentium, tanta ad exercitationum magnitudinem fiat accessio. Haec omnia recipio me pro mea virili parte, si minus diligenter, at non negligenter tamen esse facturum. Auditorum autem officia partim cum doctoris officiis conjuncta sunt, quae, quoniam ex illis sine mea oratione ipsa per se intelliguntur, non attingam: partim propria ipsorum. Ea mihi videntur esse primum ut magistrum disserentem diligenter audiant: deinde si quid non bene intellexerint, ut interrogent; tum ut omnia jam animo percepta et cognita memoriâ comprehendant; postremo, ut in exercitationibus quotidianis omnia sibi summa proponant, ut ea vel mediocria consequantur, neque magnopere laborent, quam multum aut quam cito dixerint, vel scripserint, sed quam bene, hoc est, quam varie, quam numerose, quam abundanter, quam illuminate et rebus et verbis.

Quamobrem cum et eloquentia sit tam necessaria, ut nequeat sine dedecore contemni, et ad eam comparandam magnum quoddam praesidium sit positum in doctrina, et magistrum habeatis (etsi magister vobis nunquam defuit, qui vos hoc ipsum, quod ego moneo, commoneret) sed cum magistrum habeatis et doctorem, si minus eruditum, at certe non indiligentem, qui se promittat nunquam officio, neque suo, neque vestro defuturum, et quid illi, quid vobis agendum sit, non ignoretis, dubitabitis adoles-

centes optimi, hanc tantam et tam praeclaram artem, eloquentissimorum hominum ingeniis olim inventam, summorum postea philosophorum disputationibus amplificatam, nostra memoria eruditissimorum hominum studiis vehementer illustratam, ad exstirpandam impietatem, ad ornandam religionem, ad Christianam rem publicam dubiis formidolosisque temporibus tuendam conservandamque conferre? si vobis in extremam Italiam, Galliam, Hispaniam, si in ultimas Indiae oras ejus discendae causa proficiscendum esset, tantum itineris, laboris, molestiae, periculi subire deberetis, ne tanto vel ornamento ad rem publicam Christianam decorandam vel ad defendendam praesidio caruisse videremini; nunc vero cum non in Italia modo, sed etiam in urbe ac pene domi vestrae discere possitis et in omni genere orationis exerceri, quid exspectatis? quid cunctamini? an ipsam et audiendi, et scribendi, et declamandi molestiam pertimescitis? plusne igitur apud impios, plus apud sceleratos homines nocendi voluntas, quam apud vos alios juvandi studium valebit? illi, ut in errorem inducant quam plurimos, vigilant, sudant, laborant, contendunt, non rei familiari parcunt, non corpori, nullam partem capiunt quietis, omnes rhetorum libros pervolutant, omnia veterum oratorum scripta perlegunt, et eorum quam simillimi esse conantur: vos, ut errore liberetis multos mortales, ut vestros cives e tantis malis conservetis, si minus majorem, at parem certe curam non suscipietis? illi, ut multitudinem agent furore et amentia praecipitem, antiqua et religiosa templa violent, sacras imagines disturbent, altaria demoliantur, ornatissimas cruces in publicis viis majorum pietate collocatas comminuant, sanctissimas caeremonias sacrorum ex hominum memoria deleant et extinguant, nihil est, quod non aggrediantur et efficiant; vos, ut tantam et tam

profligatam audaciam a templis, ab imaginibus Sanctorum, ab altaribus, a sacris repellere possitis, non omnes et corporis et animi nervos contendetis? an quod pulsa foro jam eloquentia est, id vos forte remoratur? atqui senatui praeest, moderatur doctorum hominum conventus, dominatur in concionibus populi, sacra concilia continet et regit ad constituendam religionem convocata. An timetis, ne sit tenuis et inops ad quaestum faciendum? non est hominis, quaestu magis, quam hominum caritate commoveri. Valeat igitur, auditores optimi, valeat apud vos bonorum exemplum, valeat majorum auctoritas, valeat communis hominum dignitas, valeat res publica, valeat religio, cui si in hisce tantis et tam caecis errorum nubibus et procellis sapientis et ornatae orationis facem praetuleritis, ad aliorum salutem conservandam, immortalia vobis a Deo praemia operae laborisque vestris, tum vivis, tum mortuis persolventur. Haec habui, adolescentes optimi, quae hodierno die dicerem; cetera, quae ad explanationem Ciceronis attinent, vestra bona venia in proximam lucem differemus. DIXI.

XIX

AONII PALEARII VERULANI

O R A T I O

DE

CONCORDIA CIVIUM

AD SENATUM POPULUMQUE LUCENSEM.

Quod ego semper optabam, viri Lucenses, versari aliquando in civitate, in qua sanctum libertatis nomen neque vanum neque falsum esset: id Deorum immortalium munere et liberalitate vestra videor assecutus. Nam etsi ex disciplinis liberalibus et sapientum praeceptis didiceram, tantum cuique libertatis esse, quantum quisque se a vitiis vindicasset: tamen, quod non in solitudine vita, sed in actione et usu quotidiano posita est, ad rei publicae statum maxime hoc nomen spectare intelligebam. Neque enim elucere potest animi continentia, ubi nulla sit adversaria constituta cupiditas, neque justitia, ubi nihil sit quod possit occupari. Quamobrem quae a summis philosophis divinitus scripta sunt, in quibus percipiendis omne meum studium a pueritia fuit, nunquam a me intelligi potuisse confiteor, nisi mihi res publica Lucensis occurrisset, in qua una sunt omnia quae sapientissimi viri undique collegerunt. Quare si, postea quam in hanc urbem, veluti in

Deorum concilium, sum admissus, et fructu jucundissimae consuetudinis vestrae, et nos ipsos contemplando, tantum sum consecutus, ut de re publica ausus sim dicere: concedite mihi, qnaeso, quoniam humanitate vestra caetera concessistis, ut virtutes, quae in re publica vestra sunt conjunctissimae, dividam, et singulas temporibus iis, quae mihi ad dicendum assignastis, singulis orationibus prosequar. Erit id puto vobis jucundius, et mihi facilius atque expeditius ad celebrandam gloriam civitatis: quae una copiose mihi, non vereor dicere, suppeditabit exempla earum rerum omnium, quae a doctissimis viris celebrantur. Quod si mihi liceret, nominatim proferre cives vestros, continentiae, fidei, justitiae, et ceterarum virtutum civilium observantissimos, o qui mihi campus esset, in quo excurrere et exultare possem, et cum antiquis Graecis et cum Latinis multa conferre! Nunc quoniam quasi instituto prohibeor aliquid proloqui, quod ad privatam laudem converti possit, vos oro atque obsecro, quae a me dicuntur, ne sic dici putetis, quasi in re publica aliqua Platonis efficta, in qua potius quales ille cives desideraret, quam quos haberet, ostendit. Ego id in primis laetor, quod de rebus civilibus apud eos mihi est dicendum, quorum cum variae sint facultates et artes, omnibus tamen optima mens, unum atque idem est studium rei publicae bene gerendae: quae cum a vobis placide tantum ac tranquille administretur, quantum non una aliqua domus a germanis fratribus: de civium concordia mihi dicendum proposui, qua civitatem Lucensem non modo novis aedificiis et moenibus, sed populo, opulentia, et nominis gloria quotidie video fieri auctiorem.

Libertatis publicae procreatrix, et quasi parens, concordia semper fuit. Nam sive primis illis temporibus, cum in silvis homines dispersi vagabantur, sive consti-

tutis jam oppidis nata est ulla res publica, necesse est eam vel ab uno, vel a pluribus fuisse profectam. Si tantam rem unus potuit praestare, qui vir existimandus! qui non praeceptis alienis, sed suis ipse primus sapiens per se justitiam et fortitudinem coleret, sibi constans, concors, et secum consentiens: ut nihil mirum videri debeat, si quis, cum se tam praeclare temperaret, ita sit meritus, ut uni infinita hominum multitudo obtemperaret. Quod si a pluribus id boni allatum est, qui ab aliquo metuerent, a quo injuria inferretur: eos concordes et sapientes omnino fuisse, et semina quaedam sapientiae jecisse ad concordiam civium, est credendum. Nam si auctoribus rei publicae prius de legibus, quam de moenibus fuit cogitandum: quî rogari leges potuerunt sine civium consensu popularique approbatione? quam ex iisdem fontibus emanasse necesse est, e quibus legum latores hauserunt. Quî enim tam multi libenter aequitatis jugum subiissent, nisi rationis lux praepotens ab eorum animis inscitiae et cupiditatis tenebras abegisset, ut prius liberi essent, quam jurassent in leges. Iis principiis natae res publicae sempiternae essent, nisi cum temporibus mores et ingenia hominum mutarentur. Etenim si tempestatum vicissitudines et coeli conversiones tantam varietatem afferunt, ut orbis, qui eadem semper et aeterna mente regitur, non idem videatur in hieme, qui fuit in vere: quantam rerum fieri commutationem putatis, decedentibus e vita illis, atque his accedentibus ad rei publicae temperationem? quid vero est aliud commutatio, quam dissidii principium et origo? quod malum quoniam vitari non potest, semper prudentissimorum civium fuit, evellere initia civilium dissensionum, spargere semina concordiae. Menenius ille Agrippa, cum plebs Romana a patribus secessisset in Aventinum, conquestus apposita fabella, membra in corpus conspirasse, ostendit

in una concordia positam fortunam civitatis. L. Valerius, et M. Horatius, cum ex Aventino in Sacrum Montem esset concursum, Decemviros causam discordiae imperium deponere jusserunt, et plebem animos rerum novarum studiosos. Ardebant Athenae odiis et invidia, eorum maxime causa qui aes alienum conflarant. Sapientissimus Solon fuisse dicitur, qui auream aequabilitatem ad controversias sedandas putaverit adhibendam. Aristides, cui Justo cognomen fuit, saepe hanc in patria pestem gliscentem compressit. Lacedaemonii veluti sementem discordiae aurum e civitate expulerunt: et ne quid lex agraria perturbationis posset afferre, sic eorum agros dividi passi sunt, ut, cum Lycurgus per regionem iter faceret, et risisse et dixisse feratur, fratres videri Lacedaemonios, qui ex aequo scripti haeredes tum primum paternum agellum viritim divisissent. Hujuscemodi homines ubi in re publica non fuerunt, urbem qui possent colere, quam repente altis defixa radicibus infelix discordia omnia occupavit, enecavit, disperdidit! Quid Graecas, res publicas quae pluribus sapientibus, quam sideribus coelum, fuerunt exornatae, quid evertit, nisi discordia civilis? Quid libertatem, et ornamentum illud humani generis Imperium populi Romani, quid delevit? nisi haec eadem: ubi, conjuncta cum temeraria animi dominatrice cupiditate, eos, qui armis vincebant, cum maxime se putarent vincere, in turpissimam redigebat servitutem: qui si quantum armis, tantum sapientia valuissent, non conjecissent liberos posterosque eorum in calamitates, in quarum cogitationem illi quidem numquam inciderunt. Mitto amissionem provinciarum, regnorum, ditionis, quae ad orientem et occidentem solem spectabat: mitto amissionem libertatis. Urbs illa Roma, hospitium omnium gentium, conciliatrix populorum, lux orbis terrarum, saepe capta, direpta, incensa, multis diebus

caruit habitatore. Quam vellem illis ipsis temporibus ab inferis rediisses C. Caesar, rediisses Cn. Pompei: quibus vos oculis vidissetis spectaculum occidentis patriae? quo animo tulissetis casum civium vestrorum? ubi inter caedes exaudiendae fuissent voces exprobrantium hostium barbarae, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammarum, fragores ruentium tectorum. Illo ipso die, quo civilis discordiae semina sparsa inter nos, illo ipso die jacta sunt fundamenta omnium malorum. Sed quoniam antiquae res, vel quod eas saepe audiverimus vel quod additum a scriptoribus dubitemus, minus afficiunt, putabit quispiam, ex nostris temporibus aliquid petendum. Utinam, viri Lucenses, non eam mihi copiam suppeditarent provinciae Christianae! Nam quod Asia et Africa intestinis odiis sic in potestate sunt crudelissimorum hostium nominis nostri, ut in tam magnis regionibus, ubi ponamus pedem, non habeamus, minus quererer, nisi ex Graecis urbibus, quae fidelissima et munitissima erat Rhodos, arx, propugnaculum, praesidium Christianae rei publicae, unde mare tueri, impedire cursum, cohibere hostium classem poteramus, superioribus annis turpiter amissa fuisset, cum interea nostri reges magnis exercitibus inter se contenderent. Pannonia, in quam et natura loci et incolarum virtute nullus erat aditus hostibus, discordia tandem patefacta est legionibus inimicis. Arsit toto hoc anno Germania bello tetro et periculoso: et ex dissensionibus civilibus, quae armis Romanis debellari non potuit, suis ipsa viribus ruit. Sed ne ego loginqua prosequar, cum latissimum atque amplissimum Italia una omnibus scriptoribus det argumentum, Gallia Cisalpina, quam altissimis montibus natura muniverat, in regum clientelas divisa, quasi Jani templum semper apertum, vocat ad arma barbaras nationes: quae saepe ad Bruttios usque excurrentes,

vastatis agris, vicis incensis, quae castella non expugnarunt? quas urbes non diripuerunt? Atque ut caetera taceam, redeo in Hetruriam, et ad unos vicinos Senenses, qui vobis carissimi sunt: quibus miseri homines in laboribus per hosce annos non sunt versati? nihil unquam eorum civitati defuit, nisi concordia civilis: urbs situ, natura, et aedificiorum descriptione et ingeniis nobilis, inter amoenos colles conclusa, fertilis et copiosa omnium rerum, proximo anno non modo peregrinis, sed civibus ipsis vix fuit hospitalis. Vos vidistis in hanc urbem relegatos, quo patriae desiderio tenerentur; ego nobilissimos homines turmatim cum liberis et uxoribus vidi, exeuntes in alienum solum, oculis lacrimantibus querentes discordiam civitatis. Nolite quaerere, quamvis omnes a finitimis humanissime excepti sunt, quantum saepe acceperint incommodorum. Quae omnia ea causa a me dicuntur, viri Lucenses, ut confirmetis vos, et fruamini isto vestro excellenti bono. Non est vulgaris res otium et tranquillitas publica: munus est Deorum immortalium, qui soli largiri possunt, quod optimum est ut velimus et ut assequamur. Quid enim hoc est? urbem, quae magna ex parte e mercatoribus quidem honestissimis constat, usque adeo avidam esse bonarum literarum, colere philosophos, observare juris peritos, instituere veluti officinas liberalium artium. Laudata est a quibusdam res publica Lacedaemoniorum, quae late quondam imperasse dicitur, quod has artes veluti inanes et inutiles exclussisset e civitate, in qua non verbis, sed armis imperium esset propagandum. Quanto viri Lucenses sapientius, qui, cum viderent cupiditate hominum Graecas res publices et libertatem Romanam concidisse, judicarunt optimum fore, si liberales artes honestissime essent in civitate, quibus instituti et exculti civium animi regionibus temperantiae et justitiae continerentur.

Eam ob rem, etsi magnus usus et infinita commoda vobis sunt ex mercatura, primas tamen iis omnes defertis, qui vel sanctissimarum legum vel philosophiae studiis se dediderunt. Quae de Lacedaemoniis dicuntur, mihi quidem non satis est compertum, an odio quodam in Athenienses, qui in illis artibus excellebant, adducti fecerint, vel potius, quod suspicor, ut eam philosophiae partem, quae de natura difficillima est et saepe falsa, excluderent: at eam, quae de moribus, non voculis et concertationibus, sed totis animis complecterentur. Ego quidem, ut quod sentio dicam, cum a Lacedaemoniorum ducibus res gestas lego, nihil aliud videre videor, quam fortes viros, parentes praeceptis institutisque philosophorum: eorum dicta et facta omnia uno ex ludo sunt continentiae et fortitudinis. Nulla gens, nulla civitas unquam laudem habuit, quae philosophiam ducem non sit secuta. Res bellica, quae longissime abesse ab hac facultate videtur, sine hujusce studiis stare non potest: quam ob rem de ordine, de fortitudine, de continentia militum, de imperatoris officio, et denique de militari disciplina multi scripserunt. Est enim ad conservationem omnium rerum necesse adhiberi moderationem: quae si tollatur, omnia corruant necesse est. Haec moderatio quae esset, quibusve ex partibus constaret, qui primi observarunt, sapientes homines a nostris, a Graecis Philosophi dicti sunt, etsi quidam Deorum potius quam hominum putant fuisse donum, et inventum ejus disciplinae, quae cupiditates frenaret, quod fas, jus, et aequum esset ostenderet, et vocaret non modo ad corporis, sed ad animi libertatem, legibus parendum doceret, raperet ad patriae caritatem et sensum communem bonorum. His radicibus, viri Lucenses, si stet, labefactari nullo modo potest concordia civilis. Nam lucrum et quaestus, aut aliud commodum hujusmodi,

parit aliquando concordiam, sed non potest diu conservare: quod conciliavit Caesarem Pompejo, Antonium Augusto, tale aliquid fuit: sed id quam diu? ubi commodum fit incommodum, concordiae jura dissolvuntur. Ea re majores vestri, sapientissimi viri omnium artium peritissimi, quae incommodi nihil possent afferre, leges statuerunt aequissimas et mores sanctissimos civitatis, quibus a philosophia acceptis veluti vinculis adstricti omnes concordiam aleretis, ne ea voce abuteremini, quam male acceptam a doctissimis quibusdam viris non possum non mirari. Libertatis proprium est, sic vivere ut velis: eam si sic illi interpretentur, ut solent, quae ista vox est? quae pestis? quae pernicies? quod exitium verae libertatis? quanto gravius et sapientius Decemvir rei publicae Lucensis peregrino audaci et temerario, qui ad sensum et voluntatem esse vivendum jactabat in libera civitate, respondit: Si in libera civitate es, liber esto, modo sic vivas ut debes. Nam cum diversae sint hominum naturae et voluntates, non dici potest, quae dissidia, quae damna, quae mala sint, ubi cuivis quodvis licet: vix crediderim in silvis, cum more ferarum vitam sibi homines propagabant, istam vocem istis interpretibus ferri potuisse. Nam cum in bene instituta re publica eae leges sint, quae boni cujusquam animum non possunt offendere, malis quidem praeciditur licentia vivendi, latores legum voluerunt omnes esse bonos, neminem nisi sapientem esse liberum: et profecto, quantum in ipsis fuit, exulat improbitas, pulsa legibus ac fugata: diversa et contraria studia dissident inter se, nec possunt cohaerere. An sunt ulla magis pugnantia, quam bonum et malum? diversae cupiditates sunt in homine? eas convincit ratio, quae in corpus habet imperium et dominatum: philosophus sapientum praeceptis se temperat et cohibet: bonus civis iisdem seminibus natas

leges accepit, has amplectitur, ut cum caeteris civibus consentiat: ex iis delecti viri ad gubernacula rei publicae discrepare non possunt aut dissidere inter se, quod in ipsis est veluti sensus bonorum omnium, quae Concordia appellatur. Variae sunt facultates et artes civium, diversa ergo studia: nihil refert. Idem ager non unius generis multas habet arbores fructuosas, quas terrestris humor nutrit: nonne corporis multa ac distincta sunt membra? quae idem potus et cibus alit. Sic in civitate variis artibus, non iisdem studiis praedita sunt ingenia civium: quae unus tamen atque idem patriae amor educat, atque educit, quam ob rem civibus omnibus veluti commune bonum proposita est una res publica, in quam omnium ora, oculi et mentes convertantur: cujus vis et auctoritas quoniam omnis est ex consilio publico, C. Cassius prudentissimus censor et patriae amantissimus, Concordiae signum in Curia posuit, Curiam ipsam Concordiae dedicavit: ut omnes sententiam dicturi admonerentur, simultates, inimicitias, injurias, dissensiones, in Curia non habere locum, sed ante fores et sacrata limina deponendas: ut adventu Senatorum Concordia sancte atque auguste culta apertis Curiae foribus emittat securitatem, tranquillitatem, otium: ex quibus annona, opulentia, ubertas, sunt in tectis atque agris, unde publica hilaritas, pax rebus, laeta conjugia, procreationes liberorum, mercaturae amplae et copiosae, studia literarum inflammata atque ardentia. Quae bona tanta, et tam praeclara, quoniam neque in obscuro esse neque silentio praeteriri possunt, non modo finitimos, sed eos, qui longissime absunt, trahunt in admirationem sui. Hinc peregrinorum conventus, et frequentia: multi cum liberis, uxoribus, fortunis ad habitandum, multi ad recreandum se conferunt in liberam et tranquillam civitatem. Quotus quisque

est, qui porta hac iter faciat, qua pulcherrima moenia cum propugnaculis et aggere exaedificantur, qui vos non fortunatos appellet? qui suspirium alte petens non optet, non modo moenibus, sed legibus et animis vestris stare patriam suam? Quot putatis, ubi in urbem hospites diverterunt, conspicientes plenum civibus forum, plenas rerum omnium officinas, plenam concordiae civitatem, lacrimas tenere non potuisse? non invidia, aut odio in vos: sed quod doleant, hanc sapientiam civium non esse in reliquis Italiae urbibus et regionibus. Atque ego, ut ex meo sensu caeteros judicem, quoties in plateam et forum animi causa descendo, descendo autem fere quotidie, mea summa cum voluptate contemplor ex hac concordia fortunas vestras: et licet cum hominibus optimis et honestissimis civibus et mihi amicissimis sermonem (ut fit) de variis rebus habeam, convertor tamen nonnunquam ad cogitationem: et totus interea pendeo atque haereo in iis virtutibus, quas jam a natura video in vobis esse, ex quibus in dies cuivis suppetere possunt amplissima argumenta ad scribendum et dicendum: ita ut earum rerum omnium, quae a sapientissimis viris celebrantur, exempla ex hac civitate colligi possint: quae quoniam optimis principiis orta, alta, et perfecta studiis, sic tradita sunt ad posteros, sic coluntur a vobis, ut tanquam in unam aliquam arborem omnia bona insita videantur in civitatem. Ex iis ego quod ratum firmumque sit, viri Lucenses, certissimis signis auguror, perpetuam fore libertatem, tranquillitatem, lucem rei publicae vestrae. Dixi.

XX

H. C. ABR. EICHSTADII DEPRECATIO LATINITATIS ACADEMICÆ.

Latinitatem academicam hoc loco non dicimus eam, quam singuli forta sse doctores academici, Latinarum litterarum incuriosi, suis in scriptis tamquam propriam sibi vindicant, sed quae, communi quodam Academiarum usu et auctoritate recepta, jam dudum ita invaluit, ut non modo pessime notae vocabula, verum etiam proba improbo, hoc est, antiquae consuetudini prorsus contrario sensu usurpentur. Nihil enim non indulgeri solet in disputationibus vel scriptionibus academicis, dummodo, quae absona sunt, ad academicam consuetudinem, sive, ut dicere malunt, ad terminos technicos Academiarum referantur, in quibus verba valeant sicut numi, et vitiosa quaeque in usus vel potius abusus diuturnitate paratissimam excusationem habeant. Quorum vocabulorum ne quis aut vituperationem temerariam, aut fugam putidae et obscurae diligentiae indicium censeat, quid sit, quod deprecandum hac in re videatur, breviter exponam.

Vehementer enim abhorreo ab stulta morositate illorum, qui res, veteribus incognitas, a recentioribus inventas in usumve introductas, circumloquendi ambiguitate obscurare malunt, quam vocabulis novis vel novo modo compositis, interdum quoque hibridis,

sed dilucidis tamen rerumque notioni aptis, ad communem omnium intelligentiam patefacere. De rebus mathematicis, physicis, chemicis, (quamquam de his omnibus vernacula lingua scribi consultius existimamus), sed Latine de iis scribentem quis ferat, qui longis ambagibus utatur Latinarum loquendi formularum, quibus res non exprimantur, sed utcumque describantur? Afferam exempla quaedam. Numeros primos inter se, denominatorem, numeratorem, regulam alligationis, lineam normalem, pondus relativum, pondus absolutum, tubulos capillares, indicem mercurialem (*Elasticitätszeiger bei der Luftpumpe*), tubum reflectentem (*Spiegelteleskop*), acidum sulphuricum, aquam regis, arcum semidiurnum (*halber Tagebogen*) et centena hujus generis alia quis, qui Latine scribit, non ausit scribere? Aut quis, qui legit, amandet scriptorem ad Noltenii Lexicon antibarbarum, cujus novam et vocabulis ejusmodi refertam editionem curare, nobis quidem multo difficilius videtur, quam post Lipsiensem librarium novum Lexicon conversationis edere, ad quod vituperator iste rursus a scriptore amendetur. Haud dissimilis est ratio in rebus philosophicis, iis quidem, de quibus novissimarum scholarum vel auctores vel sectatores primum explicaverunt. Facile assentimur viris eruditissimis, qui Latinam linguam in philosophia tamquam normam quamdam et regulam commendavere judicandarum notionum, quae, quo clarius cogitatae sint, eo facilius peregrino etiam idiomate exprimi possint: quandoquidem obscuritas saepenumero proficiscitur non tam ex paupertate linguae, quam ab inopia illorum, qui neque cogitare recte, nec recte scribere didicerunt. Sed non cadit id crimen in Kantios, Fichtios, Schellingios: qui, quae divino ingenio reperta nova protulerunt, quis sana mente praeditus obducere sustineat caligine ac tenebris verborum, ad alias signandas

notiones a Romanis procusorum? Aut, ut exemplum petamus ab ea re, quae apud omnes pervulgata est, quis novos novorum munerum atque honorum titulos, antiquo Latii velut colore tinctos, sine interprete intelligat extra patriam, in qua noti snnt homines, titulorum illorum ornamentis insignes? Stiglizio Ernestius Ciceronem ita inscripsit, ut patronum suum appellaret in regio judicio, ad quod provocatione certatur, consiliarium, in collegio, quod in Academia Lipsiensi de jure respondet, assessorem, denique a sacris rei bellicae consiliis. Intelligimus nos Germani omnes, quos titulos honorum indicare vir summus voluerit: nec poterat verbis aut propriis magis aut clarioribus uti. Britanni, Batavi, Itali, Francogalli num pariter intelligant, nescimus, neque magnopere curamus: nam posita sunt ea verba, quibus non licebat aptiora substituere. Sed *conrectorem* scholae, *verbi divini ministrum*, *concionatorem*, qui dicere verecundatur, propterea quod duo priora vocabula Romanis scriptoribus inaudita, postremum autem nomen contumeliosum fuerit tribuni plebis et concitoris rei publicae, is, ne gravius quid dicam, nimis supernus et fastidiosus est in judicio ac delectu vocabulorum. Et condonandum fortasse ejusmodi fastidium est Christophoro Saxio, seni nonagenario, qui legendis unice veterum libris impalluerat, ab eorumque auctoritate ita pendebat, ut ne *voluminis* quidem vocabulo utendum putaret de aliqua parte libri, juberetque potius, quia libri hodie non volvantur, hac in re *codicis* nomen usurpare. At non sunt illico Saxii, qui, quum relata ista in ejus Onomastico legerunt, κακοζηλίᾳ ducti, eandem in scribendo judicandoque severitatem affectant: nec singula verba faciunt artificem scribendi, sed verborum compositio, orationis, sententiis congruae, habitus colorque Romanus. Nos quidem, si profiteri hoc liceat, non pudet in scribendo per-

spicuitatis majorem quam elegantiae rationem habere, ita, ut saepenumero haud inscii committamus, quae carpendi reprehendique copiam faciant iis, qui Ciceronianorum morem et sectam instaurare cupiunt, et in oratione Latina non nisi singula verba aucupantur. Quid velim, ipsa hujus libelli inscriptio docet. *Deprecationem* dixi significatione non Ciceroniana, sed qua primus, nisi fallor, Quintilianus usus est. Deinde non dubitavi *Augustanam Confessionem* dicere, quamquam neque *confessio* hac significatione dicebatur Romanis, neque *Augustana* proprie dici potest religionis formula, non scripta, sed recitata, in consessu imperii Augustae Vindelicorum. Poteram hac ipsa circumscriptione uti: sed malui rem brevius dicere, quam obscurius. Neque quod apposui *in memoriam*, satis Latinum est: id quod Vossius et Noltenius jam dudum docuerunt, et in aliis hujus generis programmatis alia loquendi forma usus sum. Abhorret item ab antiquo scribendi usu, quod paullo ante perspicuae brevitatis causa scripsi, Lexici *editio*, Lexicon *conversationis*. Sed in talibus dandum est aliquid consuetudini nostrae aetatis, neque ex hoc genere, quod apud Ciceronem non reperitur, illico damnandum.

In his itaque faciles sumus eandemque, quam legentes damus veniam, nobis scribentibus vicissim petimus. Verum alia sunt, quae non tantum perperam dicantur, sed perverso etiam sensu mentique scribentis contrario. Haec et possunt vitari, quum in promptu sint proba et propria verba, et vero diligenter vitari oportet, ne qui Latine sciunt, scripta secus, quam scriptor voluit, intelligant atque interpretentur. Ea qualia sint, exemplis aliquot, ex latinitate academica depromptis, declarabo.

Quotiescumque muneris ratio ita tulit, ut novarum scholarum indicibus, qui singulis semestribus academicis emittuntur, more majorum praefaremur:

toties animum offendit mala consuetudo Academiarum, quae eo scholarum nuncio utuntur, cujus ipsa frons erubescat. Quid enim? *Lectiones* indicunt, per aestatem vel hiemem instituendas. Quod vocabulum sive de iis intelligatur, qui scholas habent (quo modo intellIgi certe volunt, qui *praelectionum* vel *recitationum* nomina substituunt), seu de his, qui obeunt, non tantum abhorret ab usu veterum, sed etiam pessimi vocabulum ominis est. Tardissimum enim atque inertissimum oportet esse doctorem, qui, quando apud eos, qui audiunt, pensa academica de scripto *legerit*, vel ex alio libro *praelegerit* ac *recitarit*, suo se officio satisfecisse arbitratur. Nae ille, etiamsi *proprium* librum (ut loqui hodie amant, qui suum, hoc est, conscriptum a se, non, suo aere redemptum, intelligi volunt), etiamsi igitur *suum* librum ad praelegendum adhibeat, indignus est hac saeculi luce, amandandus, si fieri possit, ad eos, qui de arte typographica ne fando quidem audiverunt. Antequam enim ars illa, litterarum summa auxiliatrix et patrona, exsisteret, quaecumque via quadam et ratione multis simul essent tradenda, necesse erat praelegi de scripto, atque adeo dictari iis, qui discere cuperent: ut ejusmodi praelectio, quatenus cogitata ad plurimorum notitiam proferret, non solum magno in pretio, sed etiam instar esset typorum. Nunc autem, nobilissima arte inventa, et crescente in dies librorum typis impressorum numero, permira res foret, si qui adhuc aut doctores academici crearentur, qui artem illam ignorarent, aut creati salariis alerentur ea scilicet de causa, ut ignorandi artem soli vel jus vel beneficium haberent. Immo vero, quod Schleyermacherus in libro, quem de Academiarum ratione scripsit, vere monuit, commodius erat ad discentium opportunitatem, et accommodatius ad doctorum istorum modestiam, dictata illa exscribi formulis litterarum lithographicis, ut

domi possent otiose ab iis legi, qui nunc ad audiendi chartisque consignandi laborem in acroateria convocantur. Apertum est igitur, *lectionum* vel *praelectionum* vocabula non cadere in doctores, certe eorum personam non decere; discentibus autem multo minus conveniunt. Nam quis ita stolidus fuerit pater, qui filios, summa cum fide et cura educatos, magnoque saepe viatico ornatos, lares ac penates jubeat relinquere eo consilio, ut apud exteros *legant*, quae parvo empta, multo salubriore pretio etiam eas per provincias, quae enormi portorio morari et impedire quodcumque commercium litterarium satagunt, in patriam mittantur? Sed non lubet his diutius inhaerere, praesertim quum identidem nobis redeundum sit ad id, quod primo negavimus, comprobari hanc latinitatem veterum scriptorum auctoritate. Quamobrem, ne aut nimia in verbis facilitate peccemus, aut perverso vocabulorum usu nobismet ipsi injuriam faciamus, animo sumpto, inposterum *scholarum* vobis indices offeremus, Cives, non *lectionum.*

Utar alio exemplo, quod magis ad vos spectat, *Ornatissimi Commilitones.* Ita enim appellare vos solemus, qui, scholarum minorum spatiis decursis, litterarum causa in Academiis versamini. Miraretur haud dubie, si audire posset, Cato aliquis aut Cotta, adolescentulos jam praefectos iis muneribus fuisse, quae qui cum dignitate gessissent, proprie apud Romanos et simpliciter, non adjecto alio vocabulo, *ornatissimi* dicerentur. Nam M. Caecilium illum, lectissimum atque *ornatissimum adolescentem*, quem Cicero vocavit Div. in Caecil. c. 9., ne stare vobiscum putetis, cavebit Manutius, recte monens ironiam non abesse. At erit aliquando, quum amplissima munera administrabitis. Audimus et speramus. Verum ne ad rem futuram, ideoque fortuitam et incertam, detorqueamus vocabulum, quod Romanis de praesenti aut peaeterito

usurpatur, nos quidem inposterum *humanissimos* appellare vos malumus ab illa humanitate litterarum et morum, quam appetere vos omnes diligenterque sectari et volumus et gaudemus.

Academia vel societas *scientiarum* non condita est Jenae: quae si esset, eam hoc ipso nomine redargueret Societas Latina, quod appellationis barbariem affectaret. Sed habemus *facultates*, quibus qui adscripti sunt, ex iis senatus academicus constituitur. Habemus facultatem theologicam, juridicam, medicam, philosophicam. Distinguimus facultates superiores loco et inferiores. Apud Romanos *ordines* erant. Quod vocabulum quidni perpetuo servabimus in re, quae exprimi aptiore verbo non potest? Cur dicere gravabimur *ordinem* theologorum, jurisconsultorum, et sic porro: eum fere in modum, quo Romanorum more et *curiam*, et *senatum*, et *patres* dicimus, et ex novissimo instituto etiam *conscriptos* dicere licebit. Expulso *facultatum* nomine, curabimus tamen, ut, cujus generis *facultatem* in senatu maximam Cicero praedicavit, ea numquam in academico senatu desideretur.

Cicero si quando rescisceret, reperiri in doctoribus academicis, qui candidatos *in doctores promoveant*, eaque re summam illorum auctoritatem contineri, doleret haud dubie vicem hominum, ad excitandas contentiones auctoritate sua abutentium, ipsamque civitatem academicam intestinis bellis laborare judicaret. Nobis nullum formula illa belli metum aut terrorem injicit, qui in satis pacata civitate nos vivere sciamus, in qua more ac lege ita receptum est, ut candidati summis in arte sua honoribus ornentur, ac disciplinarum, quas amplexi sunt, Doctores creentur. Nempe quod scriptores argenteae aetatis novo modo dixere, *in ordinem, ad munus promovere* aliquem, id latinitatis academicae auctoribus ita placuit imitari, ut ex horum ratione candidati adeo *in doctores* promoveantur.

Restituta nuper apud nos academicarum disputationum opportunitate et frequentia, valde veremur, ne mox in usum revocentur vocabula, quae semper nobis visa sunt cerimoniam illam, qua nulla est in Academiis solemnior, quam maxime dehonestare. Petita sunt enim pleraque ab iis hominibus, quorum neque conditio neque occupatio apud Romanos magno in honore fuit. Nam quis, qui litterarum cultu ingenium mentemque exornavit, aequiparari se gladiatoribus et lanistis aequo animo ferat? Attamen qui hodie in academicis cathedris constituti, dissertationem suam defendunt ab eruditorum objectionibus, petunt et flagitant, ut adversarii secum *in arenam descendant*, ut non tantum in urbe media et foro, sed in ipso etiam Sapientiae templo, quale est acroaterium academicum, quasi arenâ, gladiatorio more *concurrant*. Quam provocationem audientibus una tandem illa relinquitur consolatio, quod hac in arena non fluunt sanguinis fluvii, solatioque etiam laetitia nonnumquam accedit, si disputatio publica, etsi nullius sanguinis est, habet tamen succum aliquem, qui ex ingeniis concertantium profectus, ad illorum, qui spectatum venerunt, ingenia permanat.

ANNOTATIO.

ORATIO I.

Jo. *Georg. Graevius (Gräfe)*, Numburgensis Saxo, natus a. 1632, illustris scholae Portensis disciplina usus, in Lipsiensi Academia juris prudentiam coluit, deinde majore studio ad antiquas literas se conferens, casu in Belgium delatus, in notitiam atque amicitiam Jo. Frid. Gronovii pervenit. Brevi autem doctrinae laude ita inclaruit, ut Gronovio mortuo Daventriae in vacuum locum substitueretur a. 1658, ac paucis annis post (1662) Ultrajecti professio eloquentiae, politices, et historiarum ad eum deferretur. Magno studiosorum juvenum concursu docuit, nec minorem laudem scriptis suis consecutus est. Optime enim meritus est emendandis et illustrandis Hesiodo, Cicerone, Caesare, Floro, Suetonio, Justino. Sed opus paene palmare, quo nomen suum immortalitati commendavit, est *Thesaurus Antiquitatum Romanarum* (Traj. ad Rhen. 1694 — 99 fol. 12 Voll.). Discessit e vita a. 1703. Ita Kraft in eclogis Muretianis p. 315, quem copiosius disserentem vide in annotatt. ad Epist. Bentl. Graev. etc. p. 245. sqq.

p. 2. l. 10. *Diagoras*] De Diagora Melio auctor est Cicer. de Nat. DD. I. 1. 13 et II. extr.; cf. Diod. Sic. XIII. 6. extr., qui talentum tradit argenti fuisse propositum praemium ei, qui Diagoram Atheum

occidisset; adde Aristoph. Avv. 998 Ran. 312. Diog. Laërt. VI. 59. ibque Menag. Lysias adv. Andoc. p. 104.

Theodorus, qui et ipse ἄθεος nominabatur, non solum Athenis sed etiam Cyrenis ejectus est, philosophus levissimae rationis, a quo multa sumsisse Epicurus traditur; v. Cic. de N. DD. I. 1. 23. 42. Quaest. Tuscull. I. 43. V. 40; cf. Sext. Empir. Pyrrh. Hypotypos. III. 24. et adversus Physs. IX. 51. Plutarch. de Placitis Philoss. c. 7. Diog. Laërt. II. 86 — 104 ibq. Menag.

p. 2. l. 14. *Protagoras*] Cic. Brut. 12. 85. de Nat. DD. I. 1. 12. et I. 23. de Oratore III. 23; cf. quos laudat Menag. ad. Diog. Laërt. IX. 91.

p. 2. l. 19. *Plato*] De legg. p. 886 sqq. Steph. Erat autem Plato in universum prioribus physicis contrarius et hostis; cf. Menag. ad Diog. Laërt. III. 25. p. 149. a.

p. 3. l. 25. *Ochinos, Vanninios*] *Bernardinus Ochinus* sive *Ocellus*, Senensis Italus, Sacerdos primum Pontificius, tum Anti-pontificius, incertum cujus formulae, natus a. 1487, mortuus a. 1564; v. Bayle lexic. crit. Tom. III. v. *Bernardin*, et Moshemii Institutt. Hist. Eccles. Saec. 16. Sect. 3. P. 2. c. 2. §. 42.

Julius Caesar Vanninius, Taurisano-Neapolitanus, natus a. 1585, cum Tolosae Atheismum docere visus esset, damnatus rogoque impositus est a. 1619. Post ejus tamen mortem res in dubium vocabatur, an reapse Atheos haberi posset; v. Königii Biblioth. Vet. et Nov. voc. *Julius Caesar Vannin.* Moshem. l. l. Saec. 17. Sect. 1. §. 23.

p. 13. l. 23. *quispiam*] Accurata sermonis latini ratio postulabat *quisquam*; cf. Grysar. Theor. d. lat. Styls p. 108 sqq. Sed Graevius in hac re negligentiae culpam admisit non hoc uno loco, sed pluribus, v. c. p. 16. l. 19. *neque aliquid aliud*; p. 17. l. 19. *neque aliquid.*

p. 15. l. 13. *qui credit]* Johann. Epist. I. 5. 10: ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ.

Credere in aliquem est locutio biblica, extra Latium nata in foro theologico. Latine dicas: *spem et fiduciam in aliquo ponere s. collocare.* Nolten. Lex. Antib. p. 1371.

p. 16. l. 10. *Paullus]* Epist. ad Rom. VIII. 35. sqq.

p. 16. l. 29. *piissimorum]* Ramsh. Gr. Lat. §. 42. II. 5. b. p. 67. ed. prior.

p. 17. l. 1. *Christus]* Evang. Joann. XII. 32: Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν.

p. 18. l. 18. *Agraulos]* Non erat una Atheniensium Agraulos, sed duae saltem. Altera eaque tempore prior filia erat Actaei, conjux Cecropis, primi Athenarum regis, ex quo filium peperit Erysichthona et tres filias, ex quibus una rursus matris nomine Agraulos appellabatur; v. Apollodo .3. 14. Atque hanc ipsam minus recte nostro loco Graevius filiam *Pandionis* perhibet.

p. 18. l. 20. *Codrus]* De Codro res notissima; v. Cic. de Finn. V. 22. Tusc. I. 48. de N. DD. III. 19. Valer. Max. V. 6. ext.

p. 18. l. 21. *Decii]* Distinguendi sunt tres Decii, qui se victimas rei publicae praebuerunt, unus in bello adversus Latinos, alter contra Gallos, tertius in bello contra Pyrrhum; cf. Liv. VIII. 6. sqq. Valer. Max. V. 6. Liv. X. 28. Valer. Max. l. l. Cic. Finn. II. 19.

p. 18. l. 26. *Plato]* Plato de re publ. V. p. 469. A. Steph: καὶ τὸν λοιπὸν δὴ χρόνον, ὡς δαιμόνων, οὕτω θεραπεύσομέν τε καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας.

p. 21. l. 16. *debeo]* De hoc indicativo cf Zumpt. §. 553; adde Elberling. Observ. critt. ad Caes. p. 97. sqq.

p. 21. l. 33. *castimoniam]* *Castitas*, Reinheit von Fehlern aller Art; *castimonia* et *pudicitia*, Reinheit von Wollust; hoc magis ad corpus, illud ad mentem refertur.

ORATIO II.

Daniel Wyttenbach, gente Helvetius, natus erat 1746 in urbe Helvetiae Berna patre doctissimo, professore theologiae prius in Bernensi postea in Marburgensi Academia. In qua quum filius bonis literis per quadriennium operatus et studii theologici taedio captus esset, totum se conferebat ad veteres scriptores, et Graecos et Romanos, penitus cognoscendos. Quum hujus consilii persequendi causa subinde Gottingam profectus et ab Heynio humanissime exceptus esset, factum est, ut jam a. 1769 *Epistolam Criticam ad Ruhnkenium*, quae erant egregiae frugiferi studii primitiae, ediderit. Anno 1770 Leidam profectus est, ubi se disciplinae Ruhnkenii et Valckenarii traderet; qui utrique, ejus praestantia perspecta, a. 1771 Wyttenbachio professionem literarum et philosophiae in collegio Remonstrantium Amstelodami impetraverunt, quam provinciam per octo annos administravit. Eodem tempore de Plutarcho emendando et illustrando cogitare coepit. Anno 1779 ad eum delata est professio in Athenaeo Amstelodamensi; a. 1798, mortuo Ruhnkenio, in Academiam Leidensem vocatus, inde ex illo tempore usque ad a. 1817 antiquas literas summa cum laude et egregiis discipulis tradebat, quo anno quum propter ingravescentem aetatem et valetudinem vacationem muneris et honestissimum otium a rege suo impetrasset, mortuus est a. 1820.

Pro singulari, quam per totam vitam optimis literis operam navarat, diligentia, libros exquisitae et accuratae doctrinae plenissimos complures edidit, ex quibus potiores sunt: 1) editio operum Plutarchi moralium, 12 Voll. 8; 2) Selecta principum historicorum Graecorum; 3) Editio Phaedonis Platonici; 4) Bibliotheca Critica; 5) Vita Dav. Ruhnkenii; 6) Opuscula

varia, orationes, cett.; cf. Kraft in annott. ad epist. Wytt. etc. p. 254 sqq.

p. 26. *Herm. Tollius*, Ruhnkenianae disciplinae alumnus, et primo aemulus Wyttenbachii, deinde eidem amicissimus, homo multa et accurata eruditione clarus, in Athenaeo Amstelodamensi collega Wyttenbachii, deinde Hagam vocatus filios Guilielmi V. Principis Arausiaci (nunc regem Hollandiae ejusque fratrem natu minorem, in Italia extinctum) erudiendos accepit. Tandem fuit Professor Linguae Graecae Amstelodami et a. 1822 in summa senectute obiit. Ruhnkenio potissimum suasore et impulsore edidit Apollonii Sophistae Lexicon Homericum, Lugd. Batavv. 1788.; cf. Bergmann. in annott. ad Ruhnk. Vit. p. 485. et Vit. Wyttenb. p. 110 et 235.

p. 27. l. 35. *Ego]* Locus ἀνακόλουθος; cf. Ramsh. gr. Lat. §. 206. B. 6.

p. 29. l. 10. *Petri Burmanni]* *Petrus Burmannus Secundus* natus erat Amstelodami a. 1724, mortuus est a. 1788, homo Latine non mediocriter doctus, qui praeter *Anthologiam vett. poëtt.* edidit *Propertium* iterumque *Claudiani* et *Ovidii* carmina, olim ab avunculo Petro Burmanno I. in lucem emissa, *Aristophanem*, *Valesii emendationes*, *Rhetorica ad Herrennium*, *Lotichii poemata*, alia. Tamen non potuit in ejusdem, qua Petrus Burmannus I. floruerat, laudis societatem venire. Hic autem natus erat Ultrajecti in Belgis 1668, et cum juris prudentia conjunxit studia humanitatis, in quibus ita excelluit, ut primum in patria urbe Eloquentiae et Historiarum professionem caperet. Deinde Perizonio mortuo Leidam vocatus easdem literas tradebat. Latine doctissimus fuit et plurimum studii tribuit Romanorum poëtis castigandis, ut Ovidio, Virgilio, Phaedro, Petronio, Lucano, Valerio Flacco, et e solutae orationis scrip-

toribus Quintiliano, Justino, Suetonio.; v. Kraft. ad Muret. eclg. p. 303. et ad Epist. Bentl. etc. p. 395.

p. 30. l. 16. *literis humanioribus]* Vide annotatt. ad Orat. III. p. 307.

p. 32. l. 9. *Aristoteles]* De arte poet. c. IV. §. 2.

p. 34. l. 5. a fine. *Plato*] Plato in Phaedro c. 65: ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινὸς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Quae verbo tenus Cicero expressit de Finn. II. 16. §. 52: Oculorum, inquit Plato, est in nobis sensus acerrimus, quibus *sapientiam* non cernimus. Quam illa *ardentes amores excitaret sui*, si videretur! — Ea autem aliquo modo variavit idem Cicero de Off. I. 5. §. 14: Formam quidem ipsam et tamquam faciem *honesti* vides, quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae; ad quem locum v. Beier. p. 34. sq.

p. 35. l. 4. *Facciolatus] Jacobus Facciolatus*, Tauriliensis in collibus Euganeis, rhetor, orator, dialecticus, et philologus Lycei Patavini, natus erat a. 1682, et diem obiit a. 1769. Edidit iterata vice orationes, acroases, exercitationes et epistolas; quaedam ad Ciceronis libros de officiis aliasque Tulliani ingenii reliquias interpretandas contulit, et consilio suo auctor exstitit lexici totius latinitatis, quod edidit *Foreellinus.*

p. 35. l. 19. *Socrates]* Cicero de Orat. I. 47. 204.

p. 36. l. 8. *Poëta*] Virgilius Aeneid. VI. 730.

p. 37. l. 16. *Plutarchus]* Jam ante Plutarchum virtutem *unam* esse philosophi statuerunt, quam rem illustravit Beier. ad Cic. de Off. Tom. I. p. 328 sqq.; cf. Senec. p. 496. A. ed. Lips.

p. 42. l. 4. a fine. *Lucretii]* Lucret. de rer. nat. II. 4.

p. 43. l. 21. *Epicuri] Jactata illa Epicuri ratio* est

ipsa Epicuri et Epicureorum philosophia, quam Lucretius sequebatur et carmine de rerum natura expressit. Igitur Wyttenbachius haec vult: Lucretii egregia et celebrata de laude Philosophiae sententia magis convenit in Historiae rationem, quam in Philosophiam Epicuream. Quod mirum esse nequit, quum satis constet, Epicurum disciplinas damnasse et solum vertere jussisse; cf. Menag. ad Diog. Laërt. X. 6. p. 448.

p. 44. l. 4. *Cicero]* Cic. de Off. I. 15. §. 46.

p. 44. l. 19. *Socrates]* Eandem sententiam eleganter Horatius expressit Serm. I. 1. 15:

Si quis Deus, „En ego", dicat,
„Jam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus: Eia,
Quid statis"? nolint. Atque licet esse beatis.

p. 45. l. 29. *Homerus]* Iliad. Z. 146.

p. 47. l. 14. *Homeri]* Iliad. Θ 19 sqq.

ORATIO III

p. 51. *Marcus Antonius Muretus* natus est in pago suburbano Lemovicorum Galliae Aquitanicae, cui nomen erat Mureto, unde ipsa nobilissima Muretorum gens nomen acceperat, in lucem editus a. 1526 pridie Idus Apriles. Jam in puero singularis ingenii felicitas elucebat, quam pater, filii amantissimus, bona educatione et diligenti doctrina mirifice promovit. Ex magistris, quorum studiis et disciplina ad humanitatem informabatur, imprimis commemorandus est Jul. Caesar Scaliger, vir non minus ingenii quam multiplicis doctrinae laude praestantissimus. Mature ad docendum se contulit Muretus. Nam cum ex pueris nondum excessisset, qua aetate multi haerent

in tirociniis, jam magno concursu audientium multo adultoribus humanitatis studia et jus Romanum tradere coeperat. Neque tamen, pro illorum temporum ratione, certam sedem certumve locum tenebat, ubi scholas haberet, sed vaga erat docendi consuetudo. Aginno (Agen), qua in urbe Scaligeri disciplina usus erat, primus profectus est Parisios ibique peradolescentulus scholas aperuit, ad quas frequentes confluebant auditores, tantulae aetatis cum accuratam et elegantissimam doctrinam, tum miram oris et vocis suavitatem admirantes. Deinde in pluribus Galliae urbibus, ut Burdigala (Bordeaux), Pictavio (Poitiers), Tolosa (Toulouse) maximo plausu et favore audiebatur. Patria tandem relicta a. 1544 Venetias pervenit. Ibi non prius in summorum et eruditissimorum virorum, qui clarissimam illam civitatem ornabant, venit notitiam, quam intimam consuetudinem et amicitiam. Gratus acceptusque erat omnibus, praeter ceteros Paulo Manutio, homini longe doctissimo et in latinis literis tum facile principi. Nihilo minus paucos annos in hac urbe commoratus Patavium concessit, illo tempore optimarum artium et doctorum hominum laude florentissimam urbem. Sed inde jam a. 1560 discessit atque a multis nobilissimisque viris honorifice invitatus Romam se contulit. Receptus in domum Cardinalis Hippolyti Estensis, viri bonarum literarum non minus quam virorum doctrina excellentium studiosissimi, et liberalissime ab eo habitus ejusque beneficiis adjutus tale nactus est otium, quale vix alii homini literato illa in urbe contigit. Neque tamen diu in hoc otio se continuit, sed multorum, quibus aliquid tribuebat, precibus et auctoritate commotus a. 1563 Aristotelis libros, in quibus de morum praeceptis traditur, publice interpretari coepit. Brevi etiam alios veteres scriptores, praecipue Latinos, explanabat. Quam publici magistri provinciam usque ad extremam

aetatem administravit, ac tanta cum laude, tanto studiosorum juvenum et virorum concursu, ut nihil posset supra. Alterum Ciceronem Romani sibi divinitus missum putabant, et virum eloquentissimum summa cum admiratione audiebant. Nec solum per totam Italiam incredibili omnis liberalis doctrinae laude florebat, sed nominis fama, quam apud cives suos collegerat, ad exteras quoque gentes propagata est. Unde factum, ut Stephanus Bathorius (Bathori), rex Poloniae, cum universitatem Cracoviensem doctissimis viris ornare vellet, Muretum luculentis conditionibus propositis ad se invitaret. Sed discessum in Poloniam parantem retinuit in Urbe Gregorii XIII., Pontificis Maximi, liberalitas, cujus beneficio tanto mactatus est stipendio, quantum nemo professorum ante acceperat. Mortuus est tandem Muretus a. 1585 prid. Non. Jun. anno aetatis quinquagesimo nono. Multa et praeclara scripsit. Inprimis laudanda est Terentii et Catulli editio egregiis commentariis ornata. Admirabili et vere Ciceroniana orationis elegantiâ praecipue excellunt ejus Epistolae et Orationes; nec Variarum Lectionum libri XIX sua laude carent et valde sunt commendandi. Ita Kraft. in Eclgg. Murett. p. XI sqq.

p. 52. l. 34. *honestarum artium studia]* Plin. Ep. III. 3. *honestis artibus imbutus.* Dicuntur Ciceroni: optimae artes; optima studia; praestantissimae, ingenuae, liberales, elegantes artes; bona, liberalia studia humanitatis et literarum, rectissima studia atque optimae artes. Recte damnare solebat Fr. Aug. Wolfius vulgatum illud, *humaniores literae;* cf. *Museum der Alterthumswissenschaft* I. p. 12. *Kraft.*

p. 53. l. 8. *impulisset*] Erunt fortasse, qui propter plusquamperfectum *impulisset* supra quoque dicendum fuisse opinentur *potuissem abstinere.* At *potuerim* eadem ratione positum, qua apud Quintil. X. 1. 98. *potuerit*

est in his: Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare *potuerit*, si ingenio suo operari quam indulgere *maluisset*; ubi haec dicuntur: multum ille praestare *potuit*, si - *maluisset*. *Frotscher*.

p. 54. l. 1. *praecursionem adhibeant]* *Praecursio* est *praegressio* sive *praeparatio*; Cic. Top. 15.

p. 54. l. 17. *bene penitus]* Ita *bene* congruenter ponitur, ut *bene mane*, Cic. Att. X. 16.

p. 54. l. 30. *excitari]* Cic. Tuscull. IV. 19: Nocte ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. *Kraft*.

p. 55. l. 16. *in Orpheo perfugium habuisse]* cf. Apollon. Rhod. 4. 891. sq. Orph. Argon. 1261. sq. Heyne ad Apollod. p. 15. 37. 85. *Kraft*.

Apoll. Rhod. IV. 891:

αἶψα δὲ νῆσον
καλὴν, ἀνθεμοέσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες,

ubi Schol. voc. ἀνθεμοέσσαν pro nomine insulae proprio sumit atque in suae sententiae auctoritatem Hesiodum laudat, cujus vid. fragm. XXVII. Hinc factum est, ut Muretus nostro loco diceret: *insulam, quae ab amoenitate florumque copia nomen invenerat.*

p. 55. l. 22. *figmentum]* Legitur haec vox apud Gellium et Appulejum: aurea et argentea aetate nemo eam posuit. Melius dicitur *commentum*, *fabula commentitia*; cf. Nolten. p. 955. Cellar. Cur. post. p. 142. *Kraft*.

p. 55. l. 39. *Acheloïdum]* i. e. *Sirenum*, quae a patre Achelōo ita nominabantur; cf. Ovid. Metam. 5. 552.

p. 56. l. 6. *Chrysippus]* Memoriae lapsu *Chrysippum* pro *Carneăde* nominat; quem errorem notat Bailius lex. crit. et hist. v. *Carneade*. *Frotscher*. Erat autem *Chrysippus*, Solis, Ciliciae urbe, oriundus,

Cleanthis Stoici auditor, et tantos ipse in philosophia progressus habebat, ut Cleanthe mortuo primae ad eum deferrentur. In dialecticis admirabilis fuit et tam feracis ingenii, ut 75 libros scripsisse narretur. Vixit altera parte saeculi 2 ante Chr. Sed *Carneădes*, tertiae academiae parens et auctor, natus in urbe Africae, Cyrene, ante Chr. 215, mortuus a. 130, dialecticis maxime nobilitabatur. Tantâ enim erat in disputando subtilitate tantoque ingenii acumine praecelluit, ut magnae esset aequalibus suis admirationi. *Kraft.*

p. 56. l. 10. *orbium imitator]* Cic. Tuscull. I. 35: Cum Archimēdes lunae, solis, quinque errantium (stellarum) motus in sphaeram illigavit, effecit, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. — Idem Cicero N. DD. II. 35: Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphaerae conversionibus, quam naturam in efficiendis. — Et Ovid. Fast. 6. 277 sq.

Arte Syracusia suspensus in aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli.

Kraft,

p. 57. l. 10. *discendo]* *Discendo mori* est *mori eo ipso*, *quod discis*, quae Mureti mens esse nequit. Dicendum fuit: *discentem* sive in *discendo*. Ipsam rem tradit Valer. Max. VIII. 7. ext. coll. Cic. Cat. Maj. c. 8. §. 26: „Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri.“ Quae illustrantur verbis Plutarchi in vita Solonis c. 2: *σοφίας μὲν γὰρ ἦν ὁμολογουμένως ἐραστής, ὅς γε καὶ πρεσβύτερος ὢν ἔλεγε*

Γηράσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

p. 58. l. 8. *T. M. Torquatum*] Vide Livium XXVI. 22. *Frotscher.*

p. 58. l. 8. *Appium*] *Appius Claudius Crassus*, qui luminibus captus *Caeci* cognomen habuit (cf. Liv. IX.

29), sed in illo suo casu nec privato nec publico muneri deesse volebat. Vide Cic. Tuscull. V. 38. 113. Cato Maj. c. 6. §. 16. et c. 11. §. 37. *Frotscher.*

p. 58. l. 18. *Tiresiam*] Erat vates Thebanus, Sophocleis quoque fabulis nobilitatus. cf. Apollod. 3, 6, 7 et Heyne ad Apollod. p. 249. 256. *Kraft.*

p. 59. l. 2. *Agamemnonis*] Hom. Iliad. *B.* 372. sqq. cf. Cic. Senect. c. 10. §. 11. *Kraft.*

p. 59. l. 30. *Tyrtaei*] In bello Messenico secundo, quod summa utrimque atrocitate inde ab anno ante Chr. 682 usque ad annum 668 gestum est, missus ab Atheniensibus *Tyrtaeus,* quamquam altero oculo captus et altero pede claudus, summam prudentiam ac fortitudinem probavit. *Kraft.*

p. 59. l. ult. *Archytam]* Floruit Archytas fere circa a. 400 ante Chr., Tarento oriundus, aequalis et amicus Platonis, disciplinae Pythagoricae studiosissimus et non minus rerum publicarum tractandarum quam philosophiae et mathematicorum peritissimus. *Kraft.* Cf. Aelian. Varr. Hist. VII. 9. *Ruhnken.*

p. 60. l. 16. *Mitylenaei*] Aelianus V. H. VII. 15, unde haec ducta sunt, non hostibus devictis hanc poenam constitutam dicit, sed *τοῖς ἀφισταμένοις τῶν συμμάχων.* *Checcotius.*

p. 60. l. 31. *Plato*] Plato de re publ. V. 473. C. D. ed. Steph., de quo cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 21. *Frotscher.*

p. 61. l. 1. *invehor*] Melius *evehor*; v. Drakenborch. ad Liv. XXXVII. 23. *Ruhnken.*

p. 61. l. 2. *patentior*] Pro „*patentior cursus*" exspectasses *patentior campus.* Sed quoniam metaphora ab itinere maritimo ducta est, *cursus* dicere maluit, imitatus Ciceronem pro Planc. c. 7: Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse *cursu*, qui semper patuerit hominibus hoc equestri loco. Cujus

tamen loci dispar ratio est. *Ruhnken.* Hanc vocabuli *cursus* notionem explicui ad Caes. B. G. V. 13. p. 185.

ORATIO IV.

p. 62. l. 2. *humaniores*] vide annot. p. 307.

p. 73. l. 4. *eruditorum*] i. e. philosophorum, aliorum.

p. 64. l. 13. *figmentis*] vide annot. p. 308.

p. 64. l. 22. *Homerus*] Iliad. *Γ.* 443. *Frotscher.*

p. 64. l. 23. *Euripides*] Elect. v. 1283. *Frotscher.*

p. 64. l. 26. *professores*]. Vocabulum *Professor* libera re publica romana eversa receptum est, quod sub imperatoribus demum publici doctores constituti et stipendio adjuti sunt. Quint. XII. 11, 10. Suet. Rhet. 7. *Kraft.*

p. 65. l. 2. *institiones*] Cic. Tusc. I. 25: „quis errantium stellarum motus, cursus, progressiones, *institiones* notavit?" Nam planetae interdum *insistere* h. e. *stare* videntur, unde *stationes planetarum* dicuntur et ipsi planetae *stationales* apud Plin. II. 15. 16; cf. Cic. N. DD. II. 20.

p. 65. l. 33. *diripere*] lege *deripere.* Muretus mendosa lectione in loco Cic. de Finn. I. 13. in errorem inductus est. *Ruhnken.*

p. 65. l. 36. *Plato*] In Timaeo p. 17. B. Steph. *ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν.* Quae Cicero ita vertit: philosophiam adepti sumus; quo bono nullum optabilius, nullum praestantius neque datum est mortalium generi Deorum concessu atque munere, neque dabitur.

p. 66. l. 31. *Eratosthenem*] Nullo modo credibile est, Eratosthenem, excellentis doctrinae virum et eundem, quod inprimis ad rem pertinet, poetam talem, ut Longinus *περὶ ὕψους* §. 33 ejus Erigonam

ποιημάτιον διὰ πάντων ἀμώμητον appellet, aut poësin aut Homerum contempsisse. Ego vix dubito, quin haec Mureti criminatio fluxerit ex male intellecto loco Strabonis I. p. 82. 35, ubi Eratosthenes Homerum reprehendit, non loquacitatis nomine, sed quod omnia ad legentium voluptatem referens non pauca finxerit geographiae et historiae repugnantia. *Ruhnken.*

p. 67. l. 10. *coryph. Plato*] In Lyside p. 233 ed. Bip. *Frotscher.*

p. 67. l. 19. *ab Epicuro esse*] i. e. *sentire cum Epicuro, facere cum ipso. Kraft.*

p. 68. l. 4. *reginam*] Cic. de Orat. II. 44. §. 187: sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta (i. e. a *Pacuvio*, poëta Romano) dicta est *flexanima atque omnium rerum regina*, oratio. *Kraft.*

p. 69. l. 8. *inscripti sunt*] Cic. de Orat. II. 14. §. 61: deceptus indicibus librorum quod sunt inscripti de rebus notis. *Kraft.*

p. 70. l. 3. *impure*] Rectius erat *inquinate*; opp. *pure et emendate.* Nam *impure dicere* est *obscoene dicere*, *obscoenis verbis uti. Kraft.*

ORATIO V.

p. 72. l. 8. *indueretur*] Immo *induatur - sustineat - dicantur - voluerit. Matthiae.*

p. 72. l. 19. *confirmandos*] Ipse Muretus in margine Aldinae bene correxit *conformandos. Ruhnken.*

p. 72. l. 27. *habeat*] Anne potius erat *haberet*? Vide Zumpt. Gramm. Lat. §. 514. *Frotscher.* Conf. Elberlingii observv. ad Caes. B. Civ. p. 99. sqq.

p. 73. l. 4. *philosophico*] Hic facile vitari poterat adjectivum *philosophicus*, quod pariter ac *philologicus* prolapsa demum latinitate usurpari coeptum est. Dicendum est *philosophus*, v. c. *philosophas scriptiones*

apud Cicer. Tuscull. V. extr., ubi v. Fr. Aug. Wolf. p. 437. 7. ed. Orell. *Frotscher.*

p. 73. l. 9. *Homerica Pallas]* Iliad. XXI. 286. *Frotscher.*

p. 73. l. 11. *Euripides]* Phoeniss. 472: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. *Matthiae.*

p. 75. l. 33. *reliquisse memorantur*] Illud de Aristippo, hoc de Democrito narratur. *Matthiae.*

p. 76. l. ult. *Thucydides*] Vide ejus lib. II. c. 44: τὸ γὰρ φιλότιμον ἀγήρων μόνον, καὶ οὐκ ἐν τῷ ἀχρείῳ τῆς ἡλικίας τὸ κερδαίνειν, ὥσπερ τινές φασι, μᾶλλον τέρπει, ἀλλὰ τὸ τιμᾶσθαι. *Frotscher.*

p. 77. l. 12. *Cato*] Vide Plutarch. Tom. IX. p. 263. Rsk. *Frotscher.*

p. 77. l. 16. *Aeschylus*] Septem adv. Theb. 594: οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. *Frotscher.*

p. 77. l. 22. *Caesarem*] Vide Plutarch. Caes. c. 7. *Frotscher.*

p. 77. l. 27. *Cato*] cf. Plutarch. Cat. Min. c. 42. *Frotscher.*

p. 78. l. 8. *eloquentissimus*] Cic. Tuscull. V. 2. §. 5. *Frotscher.*

p. 78. l. 33. *flexanimam*] Vid. not. p. 312.

p. 79. l. 17. *Plato*] Vide not. p. 311.

p. 79. l. 19. *Cicero*] Tuscull. Dispp. V. 2. §. 5. *Frotscher.*

p. 79. l. 25. *Non enim Plato*] Vide notam supra p. 310, ubi laudatur locus de re publ. V. 473.

p. 81. l. 7. *prosequar*] Melius est *persequar*, quod jure postulat *Ruhnkenius.*

ORATIO VI.

Tiberius Hemsterhusius natus est Groningae a. 1686. Ab a. 1704 philosophiae et matheseos Professor Am-

stelodami, ab a. 1717 linguae graecae, post etiam historiae patriae Professor Franequerae, ab a. 1740 ejusdem linguae et historiae Professor Leidae. Obiit a. 1766. *Kraft* in Eclgg. Muret. p. 305.

p. 88. l. 6. a fine. *quis fructus*] Ex vulgari et legitimo usu dicendum fuit *qui fructus*: neque tamen haec ipsa ratio omnino improbatur; cf. Zumpt. gr. Lat. §. 134. n. Ramsh. gr. Lat. §. 170. 1. n. Grysar. Theor. d. lat. Styls p. 88.

p. 91. l. 18. *Plato*] Unum alterumve hujus etymologiae exemplum excitabo. Ita *θεός* derivatur a *θεῖν*, *δαίμων* a *δαήμων* sive *φρόνιμος*, *ἔρως* ab *εἰρεῖν*, *ἄνθρωπος* ab *ἀναθρῶν*, *ἃ ὄπωπεν*, *σῶμα* a *σῆμα*, *φρόνησις* a *φορᾶς νόησις*. At Plato haec non serio et de sua sententia protulit, sed eo consilio, ut Grammaticorum Sophistas irrideret.

p. 91. l. 26. *Varronem*] *M. Terentius Varro*, togatorum eruditissimus, philosophus, et grammaticus, Ciceronis familiaris, postea bibliothecis graecis et latinis a Caesare, tyrannidem adepto, praeesse jussus, teste Sueton. Caes. c. 44, natus a. urb. 638, mortuus a. 727. Ejus egregium librum *de lingua latina* superstitem habemus, quem indigitat nostro loco Hemsterhusius.

p. 94. l. 8. *quamlibet*] Dicendum fuit *quamcunque*; cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 128. Grysar. Theor. d. lat. Styls p. 117.

p. 94. l. ult. *forte*] Male; dicendum fuit *fortasse*; Zumpt. Gr. Lat. §. 727. Grysar. Theor. d. lat. Styl. p. 523. sq.

p. 95. l. 15. *Platonem*] De Re publ. lib. II. vers. fin. cf. Cic. Tuscull. II. 11.

p. 98. l. 6. *Scaligerum*] *Josephus Justus Scaliger*, Aginni, Galliae urbe, natus a. 1540, inde a prima aetate acerrimo studio ad monumenta eruditae antiquitatis cognoscenda incumbebat et tanta erat me-

moria, ut totum Homerum pronuntiare memoriter posset, et multas linguas cognitas haberet. Numquam tamen ausus est doctoris munus suscipere, sed nomine professoris honorarii contentus vixit unice suis studiis. Multa scripsit, in quibus magis admiranda est doctrinae copia, quam elegantia. Maximam sibi gloriam paravit *Thesauro Temporum*, quem librum Leidae edidit in 2 Voll. fol. Mortuus est ibidem a. 1609. Bene distinguendus est a patre suo *Julio Caesare Scaligero*, qui et ipse in literis non tantum habitabat, sed excellebat, quum non solum criticum, sed etiam poëtam, rhetorem, philosophum et medicum ageret. Natus erat a. 1484, mortuus est a. 1558.

p. 98. l. penult. *studiis*] *Incumbere studiis*, *literis*, improbat Vossius in Aristarcho VII. 39. Et sane rectius quidem dixeris *Incumbere ad* vel *in studia*; nam certum est, Ciceronem hoc verbum cum accusandi casu et praepos. *ad* vel *in* frequentissime jungere. Attamen dubium non est, scriptores argentei aevi v. c. Quintilianum, Silium, Juvenalem, rell. usos esse suspecta illa dictione; Nolten. Lex. antibarb. p. 1516.

ORATIO VII.

De *Jacobo Facciolato* vide supra annot. ad orat II. p. 304.

p. 99. l. 1. *Abylam et Calpen*] *Abyla*, mons excelsus Mauritaniae (nunc *Sierra Ximiera*), *Calpae* monti (nunc *Gibraltar*), qui est in Hispania, oppositus, quos ambo Herculis columnas dicunt, qui eos, olim perpetuo jugo conjunctos, separasse dicitur.

p. 100. l. 13. *Socratem*] cf. Cicero de Orat. III 19, et Quintil. lib. I. procem.

p. 103. l. 1. *privatione*] Aristoteles in principiis

et elementis, ex quibus omnia nasci statuit, praeter *τὸ ὑποκείμενον* posuit 1) *τὴν δύναμιν*, qua *potestas* datur nascendi; 2) *τὴν ἐντελέχειαν*, i. e. *actum*, 3) *τὴν στέρησιν*, i. e. *privationem*.

p. 104 l. 12. *non ens*] Satis barbare! Vocabulum *ens* a Sergio Flavio rhetore fictum, qui *τὸ ὄν* ita exposuit, teste Quintil. VIII. 3. 33, et vocem *essentiam* item primus usurpavit. Teste Prisciano ipse Caesar aureo saeculo vocem *ens*, *entis*, primus in sermonem invexisse perhibetur; cf. Nolten. Lex. Antib. p. 931. Habicht. Lat. Synon. p. 284.

p. 106. l. 3. *in literaria re publica*] *Res publica* literaria nulla Latinis nota: nostrae aetatis novum hoc commentum est. Quae vero res publica esse potest, in qua nullum est imperium, nulla parendi necessitas? in qua a cive discerni non facile potest peregrinus? Heusing. Obsservv. antibb. p. 484.

p. 108. l. 15. *Chaerephonti*] Vide Lucian. de sectt. T. IV. p. 19. sq. ed. Bipont.

p. 108. l. 18. *Zeuxin*] Vide Ciceron. de Invent. II. 1.

p. 108. l. 3. a fine. *Hermotimus*] Vide Lucian. de sectt. Tom. IV. p. 18. sq.

p. 110. l. 11. *Pythagorae monas*] Vide Diog. Laërt. VIII. 25: *ἀρχὴν μὲν τῶν ἁπάντων μονάδα· ἐκ δὲ τῆς μονάδος, ἀόριστον δυάδα ὡς ἂν ὕλην τῇ μονάδι αἰτίῳ ὄντι ὑποστῆναι· ἐκ δὲ τῆς μονάδος καὶ τῆς ἀορίστου δυάδος τοὺς ἀριθμούς· ἐκ δὲ τῶν ἀριθμῶν τὰ σημεῖα· ἐκ δὲ τούτων τὰς γραμμάς, ἐξ ὧν τὰ ἐπίπεδα σχήματα· ἐκ δὲ τῶν ἐπιπέδων τὰ στερεὰ σχήματα· ἐκ δὲ τούτων τὰ στερεὰ σώματα, ὧν καὶ τὰ στοιχεῖα εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα.* Ita Diog. Laërt. VIII. 25, ad quem locum v. Menag.

p. 110. l. 20. *Gassendicos*] *Petrus Gassendi*, Diniensis, mathematicus, philosophus, et philologus Parisiensis, instaurator et vindex Epicuri Philosophiae, natus a 1592, mortuus a. 1655.

Renatus Cartesins, vulgo *Des Cartes*, ortu Rhedonensis Picto, habitatione Batavus et Suecus, qui et ipse auctor fuit philosophandi disciplinae, quae ab eo nomen habuit. Natus a. 1596, mortuus a. 1650.

p. 111. l. 10. *praeterquam quod*] Minus bene ita scripsit Facciolatus. Omittenda certe fuit particula *quod*. Haec enim suum verbum desiderat, quod in nostro loco deest.

p. 112. l. 2. a fine. *Senatus consulto*] Hoc senatus consultum extat apud A. Gellium NN. Att. XV. c. 11 et Sueton. de claris rhett. init. Factum est anno Urbis DXCII; Lips. ad Senec. Consol. c. X. p. 81.

p. 112. l. 28. *Plato*] Vide Cic. de Univ. 14. extr.

p. 113. l. 1. *simulandi ars*] i. e. σοφιστεία, sensu malo, quo Pseudophilosophi σοφισταί nominabantur; v. Ernest. Lex. Technol. Graec. p. 312. Neque multorum philosophandi studium magis commendatur Ciceronis verbis, qui Div. II. 58. *nescio quomodo*, inquit, *nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosopho.*

p. 113. l. 25. *Princeps*] Haec oratio dicta est coram Georgio Card. Cornelio Episc. Patavino.

ORATIO VIII.

Joannes Aug. Ernesti, Saxo, ignobili Thuringiae oppidulo Tennstädt oriundus, natus a. 1707, mortuus a. 1791. Decursis scholae Portensis spatiis, Lipsiae doctae theologiae studia cum philosophiae et philologiae cognitione utiliter conjunxit. Brevi tanta eruditionis fama florere coepit, ut a. 1731 post Matthiae Gesneri discessum scholae Thomanae Lipsiensium praeficeretur. Deinde a. 1742 Professoris academici honore et a. 1759 Doctoris Theologiae dignitate ornatus est. Dubium est, utrum de sacris an de pro-

fanis literis praeclarius meruerit, utrum docendo an scribendo plus profuerit orbi literato. Imprimis excellebat mira orationis facultate, qua nihil elegantius, nihil quod propius ad antiquam latinitatem accesserit. Quot et quos libros ediderit, longum est hoc loco enumerare: palmarium tamen ejus opus dici potest editio scriptorum Ciceronis cum doctissima Clave. Ita *Kraft.* in annot. ad epist. Bentl. Graev. p. 298.

p. 114. l. 14. *libello*] Pensées sur l'interprétation de la Nature. Paris 1754. p. 105 : *Hâtons nous de rendre la philosophie populaire !*

p. 115. l. 14. *miraculis*] Legatur locus egregius Voltarii in praef. libri *Elémens de la Philosophie de Newton* p. 12.

p. 116. l. 1. *Leon*] Cicero Tuscull. V. 3.

p. 116. l. 2. *philos. nomine*] Cicero l. l. Adde Jamblich. Vit. Pyth. §. 58.

p. 116. l. 9. *contulerat*] Diogen. Laërt. I. 22.

p. 116. l. 12. *Xenophon*] Memor. Socr. II. 1.

p. 117. l. 7. *Dicaearchus*] Cic. Off. II. 5.

p. 117. l. 8. *Zeno*] Cic. Acadd. I. 9.

p. 117. l. 16. *disputavit*] Cic. Tuscull. II. 25.

p. 117. l. 23. *politissimus*] Cic. epist. ad Divv. XIII. 1.

p. 118. l. 6. *loquar*] Cicero Acad. IV. 35: Ac mihi videor nimis etiamnunc agere jejune. Cum sit enim campus, in quo possit exultare oratio: cur eam in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus?

p. 118. l. 10. *affectationem*] p. 103 : *l'affectation des grands maitres.*

p. 118. l. 16. *ignorare*] p. 105. sq.

p. 121. l. 25. *spectris Diderotianis*] Interpr. de la Nat. p. 106 : *à mésure que l'acte de la généralisation s'avance , les spectres corporels s'evanouissent.*

p. 121. l. 26. *scribet*] Le Neutonisme pour les Dames p. 23 : *ils vous trouveront de quoi recruter le soleil.*

p. 122. l. 2. *hortos*] ibid. p. 74.

p. 122. l. 2. *Laïda*] Interpr. de la Nat. p. 63.

ORATIO IX.

p. 127. l. 2. a fine. *Lockius*] *Johannes Lockius*, Wringtoniensis Anglus, Medicus, Philosophus et Dialecticus, natus a. 1632, mortuus a. 1704.

p. 129. l. 31. *posuimus*] Vid. Ernesti initia Rhet. p. 141.

ORATIO X.

p. 138. l. 25. *Quintiliani*] Institutt. Oratt. X. 7. 15

p. 141. l. 15. *Isocratis*] *A. Westermann* in libro de historia eloquentiae apud Graecos et Romanos naturam et ingenium orationum et sermonis Isocratis ex Dionysii Halicarnassensis judicio ita describit p. 87: Sein Stil ist rein, sein Ausdruck aber nicht, wie der des Lysias, ein treues Abbild der Natur, sondern Erzeugnifs eines künstlerischen Genie's; oft schreitet er kräftig wie ein Heros einher, aber zu der erhabenen Redegewalt des Demosthenes verhält er sich doch nur wie ein Athlet zu einem Vaterlands-Vertheidiger. Er besitzt mehr Eleganz, als wahre Grazie, mehr Pracht, als Anmuth; sorgfältig gerundeter Periodenbau und häufiges Figuriren macht seine Rede zwar wohllautend, aber oft durch Ueberfülle weitschweifig und monoton.

p. 142. l. 6. *Longinus*] Longin. de sublim. sect. 9.

p. 142. l. 26. *Paulus*] cf. II. Corinth. XI. 29. et XII. 15.

p. 143. l. 24. *Erasmus*] *Desiderius Erasmus*, natus Roterodami a. 1467, mature parentibus orbatus in

monasterium secedere coactus est. Qua vitae monasticae necessitate solutus a. 1496 Parisios concessit ibique ad theologiam animum appulit, nec humanitatis studia neglexit. Iter deinde faciens per Italiam, dux et comes datus adolescentibus Britannis, Pontifici Maximo innotuit, qui ipsum, ejus praestantia cognita, Romam invitavit. At erectioris ingenii homo praetulit conditionem ab Henrico VIII. Britanniae rege oblatam. Oxoniae inde ab a. 1508 graecas literas tradebat. Pertaesus tamen vitae minus liberae et incultae, Britannia relicta Basileae sedem ac domicilium sumsit. Qua in urbe tertiam et extremam partem aetatis transegit. Obiit a. 1536. Fuit Erasmus rari ingenii homo et latine doctissimus, nec mediocriter peritus graec. literarum; cf. *Kraft.* ad Mureti Eclgg. p. 300.

p. 145. l. 4. *Agraria*] Habemus tres Ciceronis de lege agraria orationes, quarum unam coram senatu, duas reliquas ad populum habuit. Etenim cum P. Servilius Rullus, Tribunus Plebis, legem tulisset, ut Decemviris permittendum esset, vendere vectigalia populi Romani, emere agros, eoque deducere colonias, Cicero omni orationis suae vi obstitit.

p. 146. l. 21. *elocutio*] *i. e. idoneorum verborum et sententiarum ad inventionem accomodatio*, ut ait Cicero de Invent. I. 7; cf. Auctor ad Herenn. I. 2. Nam, ut Quintil. VIII. Procem. 15 exponit, *eloqui* est: *omnia, quae mente conceperis, promere atque ad audientes proferre.* Graeci ἑρμηνείαν vocant.

p. 146. l. 15. *Caesar*] Vide Cicer. in Bruto c. 72. §. 253.

p. 150. l. 1. *Melanchthonem*] *Philippus Melanchthon*, vulgo *Schwarzerde*, Brettanus, e Palatinatu inferiori, Johannis Reuchlini cognatus, theologus, philologus, rhetor et philosophus, primum Tubingensis, mox a. 1518 linguae graecae doctor Vitembergensis, com-

munis Germaniae praeceptor. Natus a. 1497, mortuus a. 1560.

p. 150. l. 1. *Camerarium*] *Joachimus Camerarius*, vulgo *Kammermeister*, Babebergensis, Criticus et Polyhistor Academiae Lipsiensis, eximium doctae Germaniae decus, natus erat a. 1500, et obiit a. 1574. Ejus praeceptorem pluribus locis celebrat Ernestus *Georgium Heltum*. Distinguendus est ab Joachimo Camerario, minori, suo filio, medico et philologo Norimbergensi, qui a. 1534 lucem vidit, et a. 1598 vita decessit.

p. 154. l. 25. *Herm. Buschius*] *Herm. Buschius*, vulgo *von dem Busche*, Pasiphilus, nobilis Sassenbergensis e tractu regionis Mindensis, philologus Lipsiensis, collega Joh. Rhagii Aesticampiani, sed a Theologastris, quales tum erant, et sophistis Lipsiensibus cum collega expulsus, natus a. 1468, mortuus 1534.

p. 154. l. 25. *Rhagius*] *Johannes Rhagius Aesticampianus*, a solo natali *Sommerfeld* Lusatiae inferioris sic cognominatus, Grammaticus mox Viadro-Trajectinus, mox Lipsiensis, mox Witebergensis, natus a. 1460, obiit a. 1520.

ORATIO XI.

Paulinus Chelucci a S. Josepho, Luccae, pervetusta ac libera Etruriae urbe, natus die XXV. Aprilis aerae vulgaris an. 1682 nomen dedit religioni *scholarum piarum* an. 1699. Confecto ibidem studiorum curriculo, constitutus fuit an. 1705 a suis moderatoribus Rhetorices magister in prima Ordinis sui domo S. Pantaleonis de Urbe. Postea Urbinum missus, in nobilissimo ejusdem suae religionis collegio studiorum Praefecturam exercuit. Inde Romam evocatus est

jussu *Clementis XI.*, Pontificis Maximi, ad instituendum humanioribus literis *Alexandrum Albanum*, ejusdem Pontificis fratris filium; quod luculenter sane testatur *Marius Guarnaccius* in vitis et rebus gestis Pontificum et Cardinalium, ubi, de Alexandro Albano verba faciens, sic ait: „*Cultioribus disciplinis impensam navavit operam sub cura P. Paulini a. S. Josepho, scholarum piarum, magni nominis oratoris.*" Paulo post, scilicet an. 1723, in Archigymnasio Romano ad publicam rhetoricae et humaniorum literarum cathedram evectus est, aetatis annum agens XXXI. Per annos viginti instituit Geometria, ceterisque mathematicis disciplinis nobiles adolescentes, qui in Collegio Nazareno aluntur; cui collegio per 12 annos praefuit non solum, verum etiam mathematicis a se instauratis disciplinis, ceterorumque studiorum ratione et morum disciplina, ut nunc videre est, disposita, auxit ornavitque. Anno 1742 in Comitiis generalibus sui Ordinis adlectus est inter illos quatuor, qui una cum superiore Moderatore universum Ordinem administrant, quos *Assistentes generales* nuncupant; eodemque munere fungi illum aliis sex annis Comitia anni 1748 decreverunt. Anno deinde 1751 ad Episcopatum Alguieriensem in Sardinia promoto P. Josepho Augustino Delbequio a S. Nicolao, Generali sui Ordinis, ipse utpote antiquior Assistens, successit vicarius generalis; sed summus Pontifex, Benedictus XIV., ad dignitatem augendam eum, per Breve apostolicum, *Generalem* nominari voluit. Obiit 1754. Ita *Carafa.*

p. 157. l. 5. *Ars poetica* complectitur praecepta et regulas, quae ad poesin factitandam pertinent; facultas vero carminum condendorum est *poesis* vel *poetica*, non addito vocabulo *artis*. *Matthiae.*

p. 157. l. 18. *Hermogenes et Aphthonius*] *Aphthonii*, rhetoris et sophistae Antiochia oriundi, tempora incerta

sunt, neque accurate possunt definiri; creditur vero tertio aut quarto floruisse saeculo. Progymnasmata scripsit rhetorica, sive potius Hermogenis progymnasmata duo in quatuor dispescendo proposuit distinctius, exemplisque illustravit. — *Hermogenes*, rhetor, Tarso oriundus, floruit circa annum 161 post Chr. n. Anno aetatis decimo septimo jam scripsit *τέχνην ῥητορικὴν*, atque anno vicesimo *περὶ ἰδεῶν* i. e. de formis oratoriis libros duos. Sed, quod ingeniis praecocibus non raro evenire solet, anno aetatis vicesimo quinto eum memoria dicitur loquendique facultas defecisse, quam numquam reparaverit, licet ad summam venerit senectutem. *Wagner.*

p. 157. l. 23. *Neque aliquis vestrum ignorat*] Pro *aliquis* scribendum fuisset *quisquam*, non propter negationem, quae praecedit, sed quia auctor haud de uno alteroque auditorum loquitur, sed universos respicit singulosque. *Wagner.*

p. 157. l. 30. *Vellejus affirmavit*] Hist. Rom. 1. 5, ubi haecce leguntur: „Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari poeta meruit.“ *Wagner.*

p. 158. l. 1. *ac*] Legendum est *atque*; Zumpt. Gr. Lat. §. 332. n. Magis tamen conveniret *quam*.

p. 158. l. 2. *venerari solitus est*] vid. Dialog. de Oratoribus c. 13, ubi haecce exstant: „Ne fortunam quidem vatum, et illud felix contubernium, comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ad Consulatus evexerint: malo securum et secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud Divum Augustum gratia caruit, neque apud Populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolae, testis ipse Populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte

praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.“ *Wagner.*

p. 158. l. 6. *orbis]* Imo *orbis terrae* s. *terrarum.* Ita in sqq. *quidem* scribendum erat pro *equidem. Matthiae.*

p. 158. l. 24. *Strabonem et Isidorum]* Ὡς δ' εἰπεῖν, ὁ πεζὸς λόγος ὅγε κατεσκευασμένος μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστί. πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμησεν· εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τ' ἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ, συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον, καὶ Φερεκύδην, καὶ Ἑκαταῖον· εἶτα οἱ ὕστεροι, ἀφαιροῦντες ἀεί τι τῶν τοιούτων εἰς τὸ νῦν εἶδος κατήγαγον, ὡς ἂν ἀπὸ ὕψους τινός. Strabon. Geogr. L. I. Lips. 1796. p. 47. — *Isidorus*, Charazenus, qui sub Tiberio et Cajo Caligula vixit, exiguum composuit librum, σταθμοὺς Παρθικούς (mansiones Parthicas s. intervalla locorum in terris Parthicis) inscriptum. *Wagner.*

p. 159. l. 17. *Priscianum — Scioppium]* *Priscianus*, Grammaticus Roma oriundus, literis operam dedit Romae, atque grammatices praecepta tradidit Constantinopoli circa annum 525. — *Maurus* s. *Marius Servius Honoratus* floruit initio saeculi V, tempore Honorii et Theodosii, atque commentariis, quos in Virgilium scripsit, praecipuam sibi comparavit famam. — *Aelius Donatus*, qui medio saeculo quarto imperatoris Constantini temporibus floruit, Romae literas docuit et in magna fuit auctoritate. — *Alvarus* (Emanuel. Alvarez), ordinis Jesu sodalis, praeclara eruditione atque doctrina ornatus, in lucem editus est in insula Madera anno 1526, Conimbricae, Lisbonae atque Eburae scholae regundae praefuit muneri, atque in hoc ultimo oppido anno 1582 vitam cum morte commutavit. — *Casparus Scioppius* (s. Schoppe), Neofori, oppido in Palatinatu sito, anno 1576 in vitam editus, primum Ambergae Heidelber-

gaeque, ac deinde Ingolstadii literis operam navavit, et ea quidem diligentia, ut grammaticorum criticorumque evaserit acutissimus. Qua vero eminuerit doctrina, quamque fuerit diligens, ex librorum, quos conscripsit, intelligitur perspiciturque multitudine. Post miras fortunae vicissitudines atque varios casus, quos expertus est, diem extremum obiit Patavii anno 1649. *Wagner.*

p. 159. l. 21. *locutionis]* Accuratius dicendum fuit *latini sermonis*; vide tamen Cicer. in Bruto c. 74: solum et quasi fundamentum oratoris vides *locutionem* emendatam et latinam; cf. idem Orat. c. 19. et Auct. ad Herenn. III. 13.

p. 160. l. 18. *ut Quintilianus affirmat]* Institt. Oratorr. 1. 8. 10. *Wagner.*

p. 160. l. 34. *Laurentius Valla — contra Bartholomaeum Facium] Laurentius Valla*, vir latinae linguae peritia quam maxime clarus, natus est Placentiae a. 1407, diem obiit Romae a. 1458. De ejus vita, quae miris fortunae mutationibus obnoxia fuit, accuratius egit Drakenborch. in Livii ab ipso editi Tomo 7.; quam acer vero fuerit scriptorum latinorum censor, ex hocce jam intelligimus epigrammate in eum scripto:

Nunc, postquam Manes defunctus Valla petivit,
    Non audet Pluto verba latina loqui.
Jupiter hunc coeli dignatus honore fuisset;
    Censorem linguae sed timet ipse suae.

Bartholomaeus Faccius s. Facius, in vico Genuensi Spezzia nominato in lucem editus, floruit saeculo XV. Genuae ille et Ferrariae literis studuit, praecipue vero in historia versatus est cognoscenda, atque rerum gestarum scientia ita brevi tempore excelluit, ut a rege Alphonso stipendio annuo proposito Neapolin vocaretur, qui de rebus ab illo primo Neapolitanorum rege gestis conscriberet commentarios. Ibi tum inter eum atque Laurentium Vallam magna exorta est con-

troversia, unde graves illae natae sunt inimicitiae, quae illi cum Laurentio intercedebant, quasque ne cum anima quidem deposuit, id quod epigramma testatur, ab eo, quum de obitu Laurentii certior esset factus, morti jam ipso propinquo, conscriptum, cujus verba sunt haecce:

Ne vel in elysiis sine vindice Valla susurret,
Facius haud multos post obit ipse dies.

Extremum vero morte confecit diem anno 1457. *Wagner.*

p. 161. l. 5. *ut Josephus Scaliger ait]* *Josephus Justus Scaliger*, filius Julii Caesaris Scaligeri, natus est Aginni anno 1540. Quum viginti duos jam explesset annos, Parisios se contulit, ibique adeo se abdidit literis, ut non solum Latinis, Graecis, Hebraicisque doctissime esset eruditus, sed altioribus quoque doctrinae studiis admodum initiatus. Anno 1593 invitatus, ut Lugduni Batavorum professoris obiret munus, illuc quidem se contulit, numquam vero, ut publicas haberet scholas, potuit permoveri. Mortem occubuit anno 1609. *Wagner. Amoenitas* apud antiquiores est *locorum*, non *orationis. Matthiae.*

p. 161. l. 8. *A. Gellius appellat]* Noct. Attic. XIX, 8, ubi eum *linguae Latinae* adpellat decus. *Wagner.*

p. 161. l. 9. *Aelius Stilo dixisse fertur]* L. Aelius Stilo, artis grammaticae admodum peritus, duos de *ratione vocabulorum* scripsit libros, eoque M. Terrentius Varro usus est magistro. Quae vero de eo hic traduntur, Quintilianus refert, qui (Inst. Oratt. X, 1, 99), „In comoedia, inquit, maxime claudicamus: licet Varro dicat, *Musas*, Aelii Stilonis sententia, *Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent.*" *Wagner.* Contrarium est Mureti judicium Varr. Lectt. XVI. 13. *Matthiae.*

p. 161. l. 17. *Hadrianus Cardinalis — Facciolatus]* *Hadrianus Cardinalis*, Genua oriundus natusque anno 1594, admotus est muneri professoris sacrarum lite-

rarum Patavii, ibique diem obiit extremum anno 1633. — *Olaus Borrichius* (etenim de hoc procul dubio sermo est, haud vero de *Andrea* Borrichio, qui illius erat cognatus), in lucem editus in Holsatia, et quidem in oppido Borchen adpellato, anno 1626, octodecim quum haberet annos, Hafniam se contulit, ibique arti medicae, philosophiae atque literis elegantioribus tanto operam dedit successu, ut post sex annos jam doctoris in gymnasio ibi tum florente ornaretur munere: anno vero 1660 professoris philologiae et eloquentiae ordinarii atque botanices chemiaeque extraordinarii provincia ei adsignata est: quam quidem priusquam adiret, profectus est in Italiam, Francogalliam, Hollandiam Angliamque; indeque reverso professoris medicinae ordinarii munus delatum est. Multis praeterea aliis honoribus ornatus extremum diem morte confecit anno 1690. — *Christophorus Cellarius*, natus Schmalkaldiae anno 1638, Jenae Gissaeque literis studuit, cursuque academico absoluto Weissenfelsam, ut ibi professionem linguae hebraicae et doctrinae morum adiret, evocatus est. Deinde ei primum (1673) Wimariae, ac tum (1688) Cicae atque (1688) Martisburgi schola tradita est moderanda; anno 1693 vero in Academia, quae Halae floret, historiarum tradendarum et professoris eloquentiae provincia ei est demandata. Humanitatis denique conditionem explevit anno 1707. — *Joann. Nicol. Funccius* in lucem editus Marburgi 1693, anno 1708 in numerum civium academicorum ibi receptus est. Operam jam philosophiae dedit atque rerum gestarum cognitioni; praecipue vero se ad studium linguae Latinae contulit, cujus quoque in Paedagogio Marburgensi docendae munus anno 1723 ei delatum est. Anno 1729 professoris eloquentiae, historiae et prudentiae civilis provinciam in academia Rinteliensi accepit, atque anno 1788, quum annum

aetatis 85 confecisset, vitam reddidit naturae. Hic vir doctus et admodum sedulus in explicanda linguae Latinae historia latius versatus est, et summa diligentia adhibita in pluribus voluminibus omne spatium literaturae Romanae emensus, fata linguae Latinae ab ejus ortu usque ad interitum per aetates fixas describere sustinuit. — *Jacobus Facciolatus*, in vico Genuensi, cui nomen Torreglia, anno 1682 coelesti spiritu auctus, Patavii philosophiam tradendi praefuit provinciae, atque in doctrinis ad eruditam antiquitatem spectantibus fuit praeclare versatus. Fato perfunctus est anno 1769. *Wagner*. Vide supra p. 304.

p. 161. l. 28. *scilicet]* Verba *scilicet*, *nimirum*, *nempe* etc. a Paulino saepe ibi adhibentur ponunturque, ubi melius abessent. *Wagner*. In sqq. infinitivi *tollere-objicere* sunt ex usu Italicae et Gallicae linguae, non item *Latinae*. *Matthiae.*

p. 162. l. 13. *de oratore]* III. 11. 39 et III. 13. 40. *Matthiae.*

p. 163. l. 2. *ut Aristoteles ait*] Rhetoric. L. III. c. 1. §. 26, ubi Aristoteles, *Ἐπεὶ δ' οἱ ποιηταὶ*, inquit, *λέγοντες εὐήθη, διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τήνδε τὴν δόξαν, διὰ τοῦτο ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις.*

p. 163. l. 14. *peregrinam]* Imo *exquisitam*; nam *peregrinitas* in vitio est. *Matthiae.*

p. 164. l. 9. *Caeciliani]* *Statius Caecilius*, poëta comicus, qui ceteros comicos gravitate, vehementia et acerbitate vincebat, vixit circa a. u. c. 575, ante Chr. 177. Ejus tamen fabularum nullam superstitem habemus.

p. 164. l. 16. *Nunc enim demum — velim*] Cic. Orat. pro Coelio c. 16. §. 37. *Wagner.*

p. 164. l. 29. *magis]* Imo *plus*. *Matthiae.*

p. 165. l. 7. *inquit Cicero*] de Oratore 1, 16. §. 70. *Wagner.*

p. 165. l. 15. *Dio Chrysostomus*] Dio, ab oris sua-

vitate *Chrysostomus* cognominatus, Prusia, Bithyniae urbe, oriundus, floruit A. Chr. 94 — 117. Primum fuit Sophista, atque argutiis declamationibusque delectatus est: postea vero Stoicae sectae nomen, atque solidae eloquentiae operam dedit. Domitiani tyrannidem metuens ad Getas confugit Thracesque, ibique opere rustico victum sibi paravit. Interfecto Domitiano milites gravi sermone compescuit; dein a Nerone revocatus est, et postea Trajani gratia floruit maxima. Orationum ab eo conscriptarum supersunt LXXX. *Wagner.*

p. 166. l. 8. *Valla — Bembus]* *Petrus Bembus* Venetiae a. 1476 nobili gente ortus atque a Pio III. tiara Cardinalis ornatus fato functus est a. 1547. Notissima est ejus in imitando Cicerone virtus, a multis non immerito improbata. — *Franciscus Philelphus*, Tolenti, vico status ecclesiastici, pauperibus parentibus a. 1398 oriundus, doctrinae laude quam maxime insignis, post memorabiles fortunae mutationes, quibus obnoxius fuerat, obiit Florentiae a. 1481, ubi professoris literarum graecarum munere fungebatur. *Wagner.*

p. 166. l. 23. *Lilius Gyraldus*] *Lilius Gregorius Gyraldus*, natus Ferrariae anno 1479, Mediolani Romaeque operam dedit literis; deinde Ferrariam reversus, quamvis antiquitatis notitia esset instructissimus, vitam tamen degit in egestate. Memoria adeo dicitur valuisse, ut, quae semel legisset, numquam oblivisceretur. Ex vita hominum demigravit anno 1552. *Wagner.*

p. 167. l. 9. *quandoque* pro *interdum* dubiae est auctoritatis. *Matthiae.*

ORATIO XII.

p. 170. l. 5. *Horatius Flaccus — pronuntiavit]* Od. IV, 9, 46. *Wagner.*

p. 170. l. 33. *Cicero]* De Univ. c. 14.

p. 171. l. 5. *praeterquam]* Accuratius dicendum fuit, *praeter sapientem*; sed neque illa dicendi ratio omnino damnatur; cf. Varro de re rust. I. 45, 1.

p. 172. l. 2. *Non de Anaxagora — aut Xenophonte loquar]* Vid. Plutarchi Consolatio ad Apollon. (T. VI. p. 449. ed. Reisk.), ubi haecce leguntur: *Ἀποβλέπειν δὲ καὶ πρὸς τοὺς εὐγενῶς καὶ μεγαλοφρόνως τοὺς ἐπὶ τοῖς υἱοῖς γενομένους θανάτους πρᾴως ὑποστάντας, Ἀναξαγόραν τὸν Κλαζομένιον, — καὶ Δίωνα τὸν Συρακούσιον, καὶ συχνοὺς ἄλλους· — τούτων γὰρ Ἀναξαγόραν παρειλήφαμεν (ὥς φασι) φυσιολογοῦντα καὶ διαλεγόμενον τοῖς γνωρίμοις, ἀκούσαντα παρά τινος τῶν ἀναγγειλάντων αὐτῷ τὴν περὶ τὸν υἱὸν τελευτὴν, μικρὸν ἐπισχόντα, πρὸς τοὺς παρόντας εἰπεῖν· Ἤιδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα υἱόν. — Ξενοφῶντα δὲ τὸν Σωκρατικὸν θύοντά ποτε, παρὰ τῶν ἀγγέλων ἀπὸ τοῦ πολέμου πυθόμενον, ὅτι ὁ υἱὸς αὐτοῦ Γρύλλος ἀγωνιζόμενος ἐτελεύτησε, περιελόμενον τὸν στέφανον, ἐξετάζειν, τίνα τρόπον ἐτελεύτησε· τῶν δ' ἀπαγγειλάντων, ὅτι γενναίως ἀριστεύων, καὶ πολλοὺς τῶν πολεμίων ἀποκτείνας, μικρὸν παντελῶς διαστήσαντα χρόνον, καὶ τῷ λογισμῷ τὸ πάθος παρακατασχόντα, ἐπιθέμενον πάλιν τὸν στέφανον, ἐπιτελεῖν τὴν θυσίαν, καὶ πρὸς τοὺς ἀγγέλους εἰπεῖν· Ὅ τι θεοῖς εὐξάμην, οὐκ ἀθάνατον, οὐδὲ πολυχρόνιον γενέσθαι μοι τὸν υἱὸν, ἀγαθὸν δὲ καὶ φιλόπατρον, τοῦτο δὴ καὶ γέγονε. — Δίωνα δὲ, τὸν Συρακούσιον, συνεδρεύοντα μετὰ τῶν φίλων, κατὰ τὴν οἰκίαν θορύβου γενομένου καὶ μεγάλης κραυγῆς, πυθόμενον τὴν αἰτίαν, καὶ τὸ συμβεβηκὸς ἀκούσαντα, ὅτι ὁ υἱὸς αὐτοῦ πεσὼν ἀπὸ τοῦ τέγους ἐτελεύτησεν, οὐθὲν ἐκπλαγέντα, τὸ μὲν σωμάτιον κελεῦσαι τοῦ μεταλλάξαντος ταῖς γυναιξὶ παραδοῦναι πρὸς τὴν νόμιμον ταφὴν, αὐτὸν δὲ, περὶ ὧν διεσκέπτετο, μὴ παραλιπεῖν.* — cf. quoque de Anaxagora Plutarch. de Animi Tranquillitate T. VII. p. 855. edit. Reisk. et de Xenophonte Val. Maxim. L. V. cap. 10. *Wagner.*

p. 172. l. 14. *placide tranquilleque perferret]* Vid.

Plutarchi Apophthegmata (T. VI. p. 673 edit. Reisk.) ubi haecce exstant: Ὁ νεώτερος Διονύσιος, ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς, πρὸς μὲν τὸν εἰπόντα· Τί σε Πλάτων καὶ φιλοσοφία ὠφέλησε; Τὸ τηλικαύτην, ἔφη, τύχης μεταβολὴν ῥᾳδίως ὑπομένειν. *Wagner.*

p. 172. l. 24. *Severinum Boëthium dico]* *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius*, natus Romae anno 455, Athenis literis elegantioribus, philosophiae atque poesi operam dedit, Romamque reversus Senator, atque anno 488 saepiusque postea Consul factus est. Theodoricus, Austrogothorum rex, Italiam tum imperio regens, quum Romam ingrederetur, nomine ordinis senatorii panegyrico ab eo exceptus, ipsum maximo semper postea amplexus est amore, usque dum malis inimicorum ejus artibus suspicio moveretur, eum imperatori Constantinopolitano Romam prodendi cepisse consilium. Tum quidem Boethius, jussu Theodorici comprehensus, Ticinum deductus atque ibi in carcerem conjectus est, ubi illum, cujus Paulinus mentionem facit, *de consolatione philosophiae* conscripsit librum. Anno 524, vel, ut alii adfirmant, 526 morte mulctatus est acerbissima. *Wagner.*

p. 174. l. 6. *inter Laurentium Vallam — et Murtulam]* De *Laurentio Valla* vide supra p. 325.

Franciscus Poggius Guccius, a. 1380 in oppido Florentino Terranova natus, Florentiae et Romae literis studuit atque per 47 annos Pontificibus Maximis erat ab epistolis; tum vero Florentiae cancellarii munere functus est ibique a. 1549 diem obiit. Elegans fuit scriptor, sed nimis acer in satira; declamationes quoque scripsit in Laurent. Vallam et alios, quas h. l. respicit Paulinus.

Angelus Politianus, natus in Etruriae oppido, cui nomen Monte Politiano, a. 1454, professor factus literarum graecarum latinarumque Florentinus, mor-

tuus est a. 1495. Hic ingenii operibus ferax auctor, qui teste Paulo Jovio a prima statim juventute admirabilis ingenii nomen adeptus est, controversias habuit cum Georgio Merula, quem idem Paul. Jovius tradit ingenio fuisse subagresti, atque saepe Calderini, Galeotti et Politiani errata, vel certe praetermissa notasse. Docuit vero *Merula* Mediolani et Venetiis elegantiores literas per quadraginta annos, atque anno 1494, septuagesimum aetatis annum jam egressus, ex hominum vita demigravit.

Mariangelus Accursius (non enim nisi de hoc jam quidem sermo esse potest), Avellae, oppido in regno Neapolitano sito, in lucem editus, floruit saeculo XVI, linguis et veteribus et recentioribus doctissime fuit eruditus, multisque, quae foras dedit, scriptis famae consequutus et celebritatem. — De *Budaeo* vid. infra p. 341. et de *Marino* et *Murtula* p. 334. *Wagner.*

p. 174. l. 15. *Zoilus*] Hic Zoilus, rhetor Graecus, natus Ephesi, vel, quod verosimilius, in urbe Macedoniæ Amphipoli, vixit temporibus Philippi Alexandrique Magni. Vitruvius in Praef. L. VII. de eo refert haecce: Ptolemaeus Alexandriae Musis et Apollini ludos dedicaverat, et, quemadmodum athletarum, sic communium scriptorum victoribus praemia et honores constituerat. Illi ludi quum insequentibus annis adpararentur, a Macedonia Zoilus, qui adoptavit cognomen, ut Homeromastix vocitaretur, Alexandriam venit suaque scripta contra Iliadem et Odysseam comparata regi recitavit. Ptolemaeus vero cum animadvertisset, poetarum parentem philologiaeque omnis ducem absentem vexari, et cujus ab cunctis gentibus scripta suspicerentur, ab eo vituperari, indignatus nullum ei dedit responsum. Zoilus autem cum diutius in regno fuisset, inopia pressus summisit ad regem postulans, ut aliquid sibi tribueretur. Rex vero respondisse dicitur, Homerum, qui ante annos

mille decessisset, aevo perpetuo multa millia hominum pascere: item debere qui meliori ingenio se profiteretur non modo se unum, sed etiam plures alere posse. Et ad summam mors ejus ut parricidii damnati varie memoratur: alii enim scripserunt a Philadelpho esse in crucem fixum; nonnulli Chii in eum lapides esse conjectos; alii Smyrnae vivum in pyram esse conjectum. *Wagner.*

p. 174. l. 18. *Antioloch. — Simonidi*] Vid. Diog. Laert. L. II. cap. 5. §. 25, ubi haecce leguntur: *Σωκράτει τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντιόλοχος Λήμνιος, καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος, ὡς Πυθαγόρᾳ Κύδων καὶ Ὀνάτας, καὶ Κέρκωψ Ἡσιόδῳ ζῶντι, τελευτήσαντι δὲ ὁ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος, καὶ Πινδάρῳ Ἀμφιμένης ὁ Κῷος, καὶ Σιμωνίδῃ Τιμοκρέων. Wagner.*

p. 174. l. 20. *Asinius Pollio M. Tullio*] Vid. Quint. Instit. Orat. XII. 1, 22. „Transeo illos, qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quamquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem *dormitare* interim dixit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt; nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus in locis insequuntur.“ — Uterque Pollio vero sunt Asinius Pollio ejusque filius Gallus P., qui Gallus libros scripsit, quibus ille, ut Plinii verbis utar (Epist. VII, 4.), parenti ausus de Cicerone dare est palmamque decusque; cf. quoque Sueton. in vita Claudii cap. 41. *Wagner.*

p. 174. l. 22. *Ut taceam Rhemnium Palaemonem*] *Rhemnius Fannius Palaemon,* Vicentinus, vixit circa annum Chr. 50 Claudio imperatore, fuitque ita elatus et superbus, ut omnes sperneret ipsumque Varronem. *Wagner.*

p. 175. l. 17. *Seneca]* Epist. 85. p. 553. ed. Just. Lipsii.

p. 177. l. 17. *quod Valerius Maximus — pronuntiavit]* L. VIII. c. 7, ubi ille, „Terentius Varro, inquit, humanae vitae exemplo et spatio nominandus, non annis, quibus saeculi tempus aequavit, quam stilo vivacior fuit: in eodem enim lectulo et spiritus ejus et egregiorum operum cursus exstinctus est.“ Ab eodem auctore reliqua quoque de Isocrate, Carneade et Platone supra memorata, et quidem omnia eodem libro et capite tradita sunt. Vid. quoque Cicer. de Senect. c. 5. §. 15. *Wagner.*

p. 177. l. 21. *Gregorius Nazianzenus — Augustinus]* *Gregorius*, natus in villa Arianzo haud procul ab oppido Nazianzo, in Cappadocia sita, Caesareae, Alexandriae, et Athenis literis operam dedit ac, postquam compluribus aliis muneribus functus erat, Constantinopoli dignitate episcopali ornatus est: anno fere 381 illam provinciam deposuit rediitque in patriam, ubi anno 591 occubuit mortem.

Basilius Magnus, singularis Gregorii Nazianzeni amicus, primum presbyter Caesareensis Cappadociae, dein ab anno 371 ejusdem urbis episcopus, diligenter a Basilio Seleuciensi discernendus, obiit a. 380.

Hieronymus, Stridone Dalmatarum a. 345 natus, studiis doctrinaeque quum deditus esset quam maxime, ad eruditionem sibi comparandam in diversas orbis partes itinera fecit. Ut accuratiorem literarum Romanarum consequeretur cognitionem, Romam contendit; tandem vero, extremam illic aetatem transacturus, petiit Bethlehemum, ubi a. 420 mortuus est.

Ambrosius, Treviris ortus, episcopus Mediolanensis, natus circiter a. 340, obiit a. 397.

Aurelius Augustinus, in urbe Numidiae Tagasta a. 354 natus, atque episcopi Hipponensis dignitate ornatus, theologus, rhetor, et grammaticus, mortuus est a. 430.

ORATIO XIII.

p. 180. l. 13. *qui vir bonus esset et dicendi peritus]* Quint. Instit. Orator. XII, 1, 1, ubi ille, „Sit ergo nobis orator, inquit, quem instituimus, is, qui a M. Catone finitur, *vir bonus*, *dicendi peritus.*" *Wagner.*

p. 181. l. 1. *nisi virum bonum]* Quint. l. cit. §. 3.

p. 181. l. 10. *adeoque]* Voluit *ideoque. Matthiae.*

p. 181. l. 14. *Euripides]* Vide annotatt. ad orat. IV. p. 311.

p. 181. l. 27. *quispiam*] cf. supra adnotatt. ad Orat. I. p. 300.

p. 182. l. 25. *assereret*] Melius *contenderet*, *affirmaret*; cf. Davis. ad Cic. Acad. I. 12. Leg. I. 1. *Matthiae.*

p. 183. l. 16. *C. Plinius*] Epist. 3, 3.

p. 183. l. 30. *datur*] i. e. conceditur, esse potest; locum habere potest; cf. Quintil. II. l. 13. — Paulo supra melius esset *Audierat e n i m.*

p. 184. l. 3. *Marini*, *Murtulae*, *Boccalini] Joann. Baptista Marinus*, in lucem editus Neapoli anno 1569, a patre, quum ad ejus arbitrium se accommodare atque juris prudentiae operam dare nollet, sed in poetis legendis carminibusque componendis omne collocaret tempus, domo expulsus, ingenii poetici fama, qua jam esset celebratus, et Neapoli, et Romae Venetiisque invenit viros, qui ipsius prospicerent rationibus: praecipue autem eum favore amplexus est Cardinalis Aldobrandini. At enim quum hunc Taurinum comitaretur, ibi incidit in poetam Murtulam, qui duci Carolo Emanueli erat ab epistolis, quemque pungebat, quod Marinus ab omnibus suspiceretur colereturque. Omnem igitur ipsi maledicendi atque de ejus fama detrahendi arripiebat occasionem: quo factum est, ut se invicem adorirentur carminibus satiricis mordacibusque. Quibus quum Marinus adversarium vinceret, eumque sale et facetiis superaret, hic, ut injuriam

sibi illatam ulcisceretur, plumbea illum trajicere conatus est glande, quae vero ab eo aberravit atque virum quendam percussit nobilem. Quamvis jam quidem Marinus ipse a Duce petiisset, ut Murtulae hujus delicti faceret gratiam, hic tamen, vel saltem ejus amici criminationibus falsisque insimulationibus Ducem adduxerunt, ut Marinum in carcerem conjici curaret. Inde hic postea emissus, primum Parisios petiit, et deinde Romam evocatus est, ut ibi Academiae scriptorum praeesset facetorum; quum vero Urbanus VIII. corona ornatus esset papali, Neapolim reversus est, ibique 1625 vitam cum morte commutavit. — *Caspar Murtula*, de quo modo sermo fuit, diem supremum obiit anno 1624. — *Trajanus Boccalini*, scriptor satyricus et ad facete dicta praeter modum proclivis, atque, quotiescunque data erat occasio, alios acerbis facetiis irridens, in lucem editus est Romae initio saeculi XVII. Primum ille quidem cardinalibus Borghese atque Cajetano eum tuentibus in urbe patria vitam egit securam; at enim quum in libro *Pietra del Paragone Politico* inscripto facetiis peracutis in aulam Hispanicam esset invectus, se Romae diutius tuto versari posse desperabat, atque idcirco Venetias se contulit. Sed ne ibi quidem poenam dicacitatis subterfugere potuit; etenim quondam tempore vespertino è convivio domum rediens a quatuor hominibus personatis comprehensus atque tam male mulcatus est, ut haud ita multo post animam efflaret. *Wagner.*

p. 184. l. 14. *Tullius*] Vide supra annotatt. p. 311.

p. 184. l. 31. *philosophis*] Vide supra p. 310. et Cicer. Tuscull. V. 2.

p. 185. l. 17. *Pomponatius — Cremoninus*] *Petrus Pomponatius*, natus Mantuae anno 1462, se totum contulit ad studium philosophiae, tantosque in ea fecit progressus, ut summis aetatis suae philosophis

adnumeraretur. Docuit quoque hanc disciplinam Patavii atque Bononiae; totque ad eum confluxerunt auditores, ut ipsius auditorium eos non caperet, atque ejus audiendi studiosi statim post mediam noctem locum suum occupare cogerentur. Vitam reddidit naturae anno 1526. — *Petrus Abaelardus*, in vico Francogallico Palais prope Namnetes sito anno 1079 nobili genere ortus, primum philosophiae, ac deinde theologiae operam dedit, atque Parisiis aliisque locis utrasque disciplinas professus est. Postea vitae se addixit monachicae; bis vero propter doctrinas falsas, quas ejus inimici in scriptis ab eo editis se invenisse adfirmabant, damnatus, et liber, quem de trinitate conscripserat, combustus est: ipsumque adversarii sui persequi haud destiterunt, usquedum se reciperet in oppidum Clugny, ubi ordinis sancti Benedicti tum maxime florebat monasterium, cujus abbas eum non solum benigne recepit, sed Pontificem quoque Maximum Innocentium II. ipsi reconciliavit. Mortalitas eum consequuta est anno 1142. Foedere amorum ipsum Eloisae fuisse junctum, apud omnes est pervulgatum; idque attigisse sufficiet. — *Andreas Caesalpinus*, natus Arretii anno 1519, Pisis philosophiae operam dedit artique medicae, quam disciplinam ibi quoque postea tradidit: a Clemente VIII. deinde invitatus, ut ipsius esset archiatrus, Romam se contulit, ibique anno 1603 diem obiit extremum. — *Caesar Cremoninus*, in lucem editus anno 1550 in vico Mutinensi Cento, philosophiam sibi sumsit colendam, hancque disciplinam Ferrariae docuit atque Patavii, ubi anno 1631 peste absumtus est. Ipse et Caesalpinus Pomponatiusque de immortalitate animi feruntur dubitasse. *Wagner*.

p. 186. l. 26. *Hinc Asinius Pollio — defenderetur*] „Etiam partis adversae patronus dabit exordio materiam: interim cum honore, si eloquentiam ejus ac

gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta sint judici, fecerimus: interim per contumeliam; sed hoc perquam raro, ut Asinius pro Urbiniae haeredibus Labienum adversarii patronum inter argumenta malae causae posuit.“ Quint. Inst. Orator. IV, 1, 11. *Wagner.*

p. 186. l. 36. *aliquem]* Postulatur *quemquam*; vide supra p. 300.

p. 187. l. 4. a fine. *dari]* *Esse*, v. annot. p. 335.

p. 187. l. 15. *ingrediantur*] Hanc locutionem nusquam inveni. Voluit, puto, *ad aegros curandos ne aggrediantur. Matthiae.*

p. 187. l. 20. *scientiae*] Dicendum fuit *disciplinae*, paulo post bene habet voc. *scientia*; cf. Heusing. Obss. antibb. p. 428. Grysar Theor. d. lat. St. p. 154. 218.

p. 188. l. 1. *facultati*] Scribendum erat *disciplinae*; vide Nolten. Lex. Antib. p. 530. *Wagner.*

p. 188. l. 24. *ac]* Vide supra annotatt. p. 223. Sed scribere debebat *statim ut.* Mox rectius esset *summa cum volunt. Matthiae.*

p. 188. l. ult. *sit]* Scr. *est.* Conjunctivus e consuetudine Italorum fluxit *qualche sia*, quae eadem est Germanorum. *Matthiae.*

p. 189. l. 5. *intersit*] Pessime h. l. *interest* conjungitur cum *Nominativo* Substantivi. Dicendum fuit: *quantam vim habeat-innocentia et virtus*, aut simile quid.

p. 190. l. 6. *Ciceronem*] Vide Cicer. Lael c. 22. §. 83.

p. 190. l. 15. *literarum res publica*] Vide supra annot. p. 316.

p. 190. l. 23. *milites illos Plautinos*] i. e. cum milite glorioso comparandos eodemque numero habendos. *Wagner.*

p. 190. l. 31. *existere*] *Esse, reperiri. Matthiae.*

p. 190. l. ult. *adeoque*] *Ideoque. Matthiae.*

p. 191. l. 2. *cur non dentur, ut poeta ait, Marones*] Martial. Epigr. VIII. 56, ad Fuscum, v. 5. 6, ubi haecce leguntur:

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Verbum *dentur* hac significatione adhibitum haud videtur posse defendi. *Wagner.* Dicendum erat *desint*, et paulo infra *clarissimum*, non *celeberrimum*. *Matthiae.*

p. 191. l. 23. *Quid vero de Joanne Ciampolo loquar*] *Joannes Ciampolus*, natus Florentiae a. 1589, Patavii literis studuit et Bononiae, atque elegantioribus literis fuit perpolitus; postea vero eo processit insolentiae et impudentiae, ut Homerum, Horatium, Virgilium, et Petrarcham puerorum similes esse contenderet, qui in scholis versus componere inciperent. Mortem occubuit a. 1643. *Wagner.*

p. 191. l. 33. *Pierium Valerianum, Cornelium Tollium*] *Joh. Pierius Valerianus Bolzanius*, in vico Veneto Belluno a. 1475 natus, Venetiis et Patavii literis operam dedit; deinde Romam petiit atque Leonis X. Clementisque VII. nepotes instituit erudivitque. Venetiis tum graecam docuit linguam atque, Graeciam Asiamque postquam lustravit, Patavium se contulit ibique a. 1558 diem obiit. Librum scripsit de infelicitate literatorum, quem librum inscripsit *Contarenum*. — *Cornelius Tollius*, in lucem editus Trajecti ad Rhenum, Harderovici graecae linguae professionem administrabat et Valeriani illius librum de infelicitate literatorum additamentis auxit; floruit circa annum 1650. *Wagner.*

p. 192. l. 12. *rei publicae — eloquentiam*] Haec constructio videtur defendi posse loco Ciceronis (Attic. III, 19), ubi ille, *Non quo*, inquit, *mea intersit loci natura. Wagner.* Addendus erat Infinitivus *coli, tractari.* Vide tamen Ramsh. Gramm. Lat. §. 114. not. 3. *Matthiae.* Cf. supra annot. p. 338.

p. 192. l. 30. *ferant - intelligant*] Immo: *ferrent-intelligerent.*

p. 193. l. 5. *se*] Imo *eos. Matthiae.*

ORATIO XIV.

p. 195. l. 18. *cum qua — intercedit*] Scribere debebat auctor *cui — intercedit. Wagner.*

p. 197. l. 8. Pro *quam quod* dicendum *quam ut. Wagner.*

p. 198. l. 35. *qui — redundat — antecellit*] Vix credimus, quemquam fore, qui hoc loco non desideret conjunctivum. *Wagner.*

p. 201. l. 12. *unde fieri dicendum est — quod*] Est, qui usum vocis *quod* post *fieri* hoc loco eo existimet defendi posse, quod apud Ciceronem (Tusc. Quaest. IV. 30.) haecce leguntur: „Itaque — percommode *factum est, quod* eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proximo die disputatum est." At vero hujus loci ratio prorsus diversa est: etenim apud Ciceronem verba *percommode factum est* praedicati vim obtinent; apud nostrum vero auctorem voce *fieri* inquiritur in causam, unde sequentia tamquam effectus pendeant: omnino igitur pro *quod* sequi debebat *ut. Wagner.*

p. 201. l. 17. *centones sarciant*] Sumta est haec formula loquendi a Plauto (Epid. III, 4, 19), ubi olim *farcias* legebatur, quod Meursius aliique mutaverunt in *sarcias*, quia centones non *farciuntur*, sed *sarciuntur. Centones sarcire* significat, gloriosis mendaciis consarcinatisque fabulis admirationem sui aliis injicere. *Wagner.*

p. 201. l. 29. *Hugonis Grotii*] *Hugo Grotius (van Groot)*, qui multa quidem alia in lucem edidit scripta, maximam tamen libro, quem *de jure belli et pacis* composuit, sibi comparavit gloriam, natus est Delphis, ao. 1583, atque, quum ad literarum studium se contulisset, in eis brevi tempore tantos fecit progressus, ut annum aetatis decimum sextum nondum egressus Martianum Capellam ederet adnotationibus adjectis. Postea magnam studiorum suorum partem juris pru-

dentiae quoque impertivit; variisque deinde fortunae mutationibus versatus, tandem a Christina, regina Sueciae, ad Ludovicum XIII, Galliae regem, legati ornatus munere missus est, atque ao. 1645 Rostockii mortem cum vita commutavit. *Wagner.*

p. 202. l. 30. *ut Chrysippum illum aemulari videantur]* *Chrysippus*, Cleanthis discipulus et successor, Solensis, natus Olymp. CXXV, 1, mortuus Ol. CXLIII, 2, homo quidem fuit ingenii acumine, subtilitate et eruditione florentissimus, sed ejus orationem obscuriorem fuisse et intellectu difficiliorem testatur Diogenes Laertius L. IV. c. 7. n. 180, ubi, *Πλεονάσας*, inquit, *τοῖς πράγμασι, τὴν λέξιν οὐ κατώρθωσε.* vid. quoque Menage ad Diog. Laert. p. 338. *Wagner.*

p. 203. l. 1. *quod se — deficiat]* Scribere debebat auctor: *quod ipsos deficit;* sententia enim ejus ipsius est, haud vero eorum, quos dictio nitida deficit. — *Ex Aristotele* positum pro *ex sententia Aristotelis. Wagner.*

p. 203. l. 17. *Gothofredi Wendelini]* Hujus *glossarium Salicum Legibus Salicis illustratis additum est, et habetur inter Opera Jo. Jac. Chiffletii Antwerp.* 1749., *ut de aliis hic adductis Glossariis taceamus.* (Adn. Auct).

p. 203. l. 26. *Guilielmus Budaeus — Franc. Duarenus]* *Guilielmus Budaeus*, in lucem editus Parisiis a. 1467, aetate juvenili quidem venandi atque animi oblectandi magis quam discendi studio tenebatur; deinde vero literarum amore ita incensus est eisque adeo operam dedit, ut omnium Francogallorum suae aetatis aestimaretur doctissimus. Diem extremum obiit in urbe patria a. 1540. Inter eos, qui ab ipso disciplinam acceperant, doctrina atque juris prudentia excelluit *Franciscus Duarenus*, natus a. 1509 in urbe St. Brieux et fato functus Bituricis (Bourges) a. 1559. Hic et ipse eis adnumerandus est, qui cum civili

scientia elegantiores literas et eloquentiam optime conjunxerunt.

Antonius Faber jurisconsultus Francogallicus, natus 1557 in oppido Bourg en Bresse, primum Camberii causas agebat', deinde publici consilii ejus loci moderator evasit atque tandem Sabaudiae impositus est rector; obiit a. 1624.

Franciscus Balduinus, natus Nemetaci (Arras) a. 1520, vir juris scientia quoque praecellens, quam doctrinam etiam in compluribus academiis tradidit, tandem in urbem patriam reversus fato functus est a. 1570. Majorem etiam juris peritia sibi gloriam acquisivit *Cujacius*, a. 1520 Tolosae tenui loco natus, qui summo, quod literis impendebat, studio eo pervenit, ut non solum in quatuor academiis juris prudentiae docendae munere fungeretur, sed ab Emanuele Philipperto, Sabaudiae Duce, ut ipsi esset a consiliis, Augustam Taurinorum arcesseretur; quo tamen munere postea deposito Bituricas (Bourges) se contulit, ubi mortuus est a. 1590.

Jacobus Gothofredus, vir juris peritia praecellens, natus Genevae ao. 1587, in hac urbe patria non solum professoris juris prudentiae cathedram ornavit, sed maximis quoque praefuit honoribus atque syndici munere quinquies functus est; de vita decessit ao. 1652. *Wagner.*

p. 204. l. 29. *Ut proinde — contendo]* Quibus rationibus editores harum orationum adducti hanc retinuerint lectionem, nos sane fugit: aut enim *ut* delendum, aut *contendam* legendum est. *Wagner.*

p. 206. l. 19. *Huc quoque accedit, orationis vim — scatere vitiis]* Post *huc accedit* non accusativum cum infinitivo, sed *ut*, vel hoc loco potius *quod* ponendum fuisse, haud est, quod moneamus. *Wagner.*

p. 207. l. 1. *ut poeta inquit]* vid. Pers. Sat. IV, 52:

Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta
supellex. *Wagner.*

p. 209. l. 30. *Neque enim veremur, ut — exsistat]* Ex praeceptis grammaticis pro *ut* propter antecedens *veremur* ponendum fuisset *ne.* Auctor fortasse ante oculos habuit Horatium, qui Sat. 1, 3, 120, 121:

Nam *ut* ferula caedas, inquit, meritum majora subire
Verbera, non *vereor.*

ad quem locum Heindorfius haecce adnotavit: „Das von *vereor* abhängige *ut* steht für *ne*: eine Verwechslung, von der sich schwerlich sonst wo ein sicheres Beispiel findet. Denn die von *Vossius de Arte Gramm.* I, 7, oder *de Sermonis Constr.* p. 267. und von *Forcellini* im *Lex.* unter *ne* aus Cicero angeführten Stellen sind ohne Zweifel verdorben. Kaum läſst sich dieses *ut* anders als durch eine Anakoluthie erklären. Horaz wollte nach *ut* fortfahren, *id fieri posse non puto* oder *verisimile non est*; dafür tritt, als ginge *ne* vorher, *vereor* ein.“ Sunt tamen, qui hunc illius particulae usum post *vereor* eo defendi posse existiment, quod verba *spem* atque *timorem* significantia, addita praecipue negatione, eandem fere habeant vim, ideoque facile inter se permutari possint; *non veremur* igitur in ejusmodi enuntiationibus idem valere, quod *non speramus, non credimus, fore ut.* Atque Graevius in adnotat. ad. Cicer. Epist. ad Famil. VI, 1, „Grammaticorum decreta de *voreor ne*, inquit, quod adfirmare volunt, et *vereor ut*, quod negare tradunt, dudum explosit Fr. Sanct. in Minerva L. IV. c. 15. de homonymis.“ Sed vid. Perizonius ad hunc Sanctii locum n. 29. Ruddim. Instit. Gram. Lat. ex ed. Stallb. T. II. p. 237, et qui ibi laudati sunt auctores. — At enim auctor noster post *vereor*, interdum posuit etiam *ne*, ubi ex praeceptis a grammaticis constitutis *ut* adhibendum fuisset.

ORATIO XV.

Franciscus Bencius, sacerdos Jesuita Romanus, discipulus Mureti, quem mortuum oratione funebri laudavit, et *Justi Lipsii* amicus, ad quem frequenter literas scripsit, rhetor, orator, et carminum scriptor. Mortuus est a. 1594.

p. 210. l. 1. *L. Crassus*] Vide Ciceron. de Orat. I. 26.

p. 211. l. 22. *Ada*] cf. Arrian. Exped. Alex. I. 23. et Freinshem. Supplem. Curt. Ruf. II. 8. 24.

p. 213. l. 8. a fine. *Seneca*] Vide ejus epist. 32. p. 446 ed. Lips.

p. 214. l. 4. a fine. *Atlantes*] Vide Herodot. IV. 184. ibique doctiss. Baehr. Tom. II. p. 606.

p. 217. l. 20. *Milo aut P. Gallonius*] Intelligendus est *Milo Crotoniata*, quem Olympiae per stadium ingressum esse dicunt, quum humeris sustineret bovem vivum, Cic. de Fat. 13. Idem tanta voracitate fuisse dicitur, ut una coena integrum bovem solus comederet.

P. Gallonius Praeco, homo luxuriosissimus, cujus mensa omni genere deliciarum, imprimis acipensere infamis erat; vide Cicer. pro Quinct. 30. Finn. II. 8. Horat. Serm. II. 2. 47.

p. 218. l. 7. *de latronum nobilissimo*] Sermo est de *Caco* pastore, incola Aventini, qui inter caetera furta, quibus agrum latinum quotidie infestabat, Herculis quoque boves, quos ille occiso Geryone ex Hispania abduxerat, noctu e pascuis abegit et, ne vestigiis furtum deprehenderetur, caudâ in antrum suum pertraxit. *Nobilissimus poëta* est *Virgilius*, qui Aeneidos lib. 8. v. 194. sqq. hanc rem latius persequitur.

p. 219. l. 23. *Euripidem*] Cujus verba sunt in Hippolyto v. 413:

κἂν βροτοῖς
αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι;

vide Erasm. Provv. Chil. I. Cent. III. Num. 38.

p. 220. l. 7. a fine. *scientiam*] Vide supra p. 338.

p. 220. l. 15. *adolescentia*] Male. Vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 675.

ORATIO XVI.

Marcus Antonius Majoragius, a vico tractus Mediolanensis *Majoraggio* ita nominatus, rhetor, carminum scriptor et philologus Mediolanensis, natus a. 1514, mortuus 1555.

p. 223. l. 15. *poëta*] Virgil. in Epigramm. *Vir bonus.*

p. 223. l. 20. *ne fortasse*] Vide annot. p. 314.

p. 224. l. 3. a fine. *Ovidio*] Ovidio Fast. IV. 311.

p. 225. l. 2. *Ennio*] Quintil. II. 18.

p. 225. l. 20. *indolet*] Potius dicendum fuit *indolescit.*

p. 225. l. 29. *ne quidem*] Hoc imitandum non est, quamvis vel Ciceronis et Livii a veteribus Grammaticis auctoritas laudetur; v. Nolten. Lex. Antib. p. 1056.

p. 226. l. 6. *Cicero*] Vid. Orat. Cic. pro Ligar. cap. 12. §. 35.

p. 226. l. 13. *Callicratidae*] Cicero de Off. I. 24. et 30.

p. 226. l. 15. *Fabius*] Livius lib. XXX. cap. 26.

p. 226. l. 23. *Ennius*] Cicero de Senect. c. 4. §. 10. et de Off. I. 24. §. 84.

p. 226. l. 2. a fine. *Philippum*] Vide locc. comm. ad calc. Stob. p. 81. ed. Lugd. a. 1509.

p. 227. l. 5. a fine. *punitus est*] Ita Cicero Mil. 13. et Philipp. VIII. 2. *Puniri* usurpavit, sensu activo; cf. Struve über die lat. Declin. und Conjugat. p. 115.

p. 227. l. 25. *Dione*] Stobae. Ecl. II. Serm. 19. p. 170.

p. 227. l. 3. a fine. *Socratis*] Diog. Laërt. II. 24.

p. 228. l. 9. *poeta graecus*] Vide Antholog. Graec. T. IV. p. 209. ed. Jacobs.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὑτῷ.
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

p. 228. l. 9. a fine. *Aristippus*] Vide Diog. Laërt. II. 70.

p. 228. l. 21. *Demosthenis*] Vid. Stob. Serm. 19. p. 168, ubi etiam de *Aristippo*, *Cleomene*, *Pittaco*, *Lycurgo* rell. sermo injicitur.

p. 229. l. 1. *Pericles*] Vide Plutarch. in vita Pericl. T. I. p. 154. Wechel.

p. 229. l. 5. a fine. *Lycurgus*] Plutarch. Lycurg. c.

p. 229. l. 8. a fine. *elogium*] Voc. *elogium* bene latine dicitur de *sententia breviore*, ut nostro loco; minus bene eo sensu, quem habet Francogallorum vox *éloge*; cf. Ruhnken. opusc. ed. Friedem. p. 223.

p. 229. l. 11. *Pittacus*] cf. Diog. Laërt. II. 76.

p. 230. l. 5. *Zoilus*] De his invidis obtrectatoribus cf. supra p. 232. sqq.

p. 230. l. 8. *Paulum*] Epist. ad Corinth. I. 4.

p. 230. l. ult. *Quintilianus*] cf. Institt. Orat. X. 1.

p. 231. l. 12. *Hipponacteo*] *Hipponax*, jambographus, qui jambis mordacibus Anthermum et Bupalum ad restim redegit, unde clare patet sensus *praeconii Hipponactei*, Cic. Divv. VII. 27; cf. de N. DD. III. 38. Orat. 58.

p. 231. l. 13. *Paro*] Vide Cerdam ad Virg. Eclog. III. v. 1.

p. 231. l. 17. *Alius*] Vide Cerdam ad Virg. Georgg. I. 299.

p. 231. l. 11. a fine. *Suspendio*] Vide Erasm. Adagg. I. 10, 21.

p. 231. l. 6. a fine. *Pharisaei*] Evang. Matth. 11. 19. et Luc. 7. 34.

p. 232. l. 10. *Plinius*] Praefat. Hist. nat. lib. I. p. 6. ed. Hard.

ORATIO XVII.

p. 234. l. 6. *Comicus*] Terent. Andr. I. 1. v. 50.

p. 236. l. 6. *Aristippus*] cf. Menag. ad Diog. Laërt. II. 73.

p. 236. l. 10. a fine. *Quintilianus*] Institt. oratt. I. 3.

p. 237. l. 2. a fine. *Evadant*] *Evadere in praestantes viros* aeque male dicitur, atque *evadere in virum doctum.* Veteres enim, quando hoc verbum pro *fieri* usurpant, non nisi nominativum adjiciunt, v. c. *evadit vir doctus.* Vide Nolten. Lex. Antibarb. p. 1443.

p. 238. l. 2. *Satiricus*] Juvenalis Satir. 14. v. 29. sqq. Locus, qui paulo infra laudatur, est Satir. 14. v. 41.

p. 238. l. 15. a fine. *Virgilianum*] Virgil. Georgg. II. 272. cf. Quintil. Institt. oratt. I. 4.

p. 239. l. 2. *escis*] *Esca* latius patet, quam *cibus*; usitatissime enim significat *illecebras*, et invitamentum illud, quo capiuntur aves et pisces, *Lockspeise.* Nolten. Lex. Antib. p. 854.

p. 239. l. 3. a fine. *Terentius*] Andria I. 1. v. 27.

p. 239. l. 5. *Catonem*] Plutarch. in vita Caton. T. I. p. 348 Wech.

p. 239. l. 12. *Plato*] In Lachete p. 201. A. ed. Steph.

p. 240. l. 6. *Persius*] Satir. 5. v. 34. sq.

p. 240. l. 9. *Horatius*] In epist. ad Pisonn. v. 163.

p. 240. l. 14. *Plato*] Vide Cicer. de Senect. c. 12.

p. 241. l. 3. a fine. *Xenophon*] Cic. de Finn. II. 25. et Tuscull. Quaerest. V. 34.

p. 241. l. 17. *Virgilium*] Aeneid. IX. 603. sqq.

p. 242. l. 2. *ad Rcmanos*] Cicero Tuscull. I. 1. cf. Brut. 19.

p. 243. l. 21. *ad metam pervenire*] Dictio figurata, solis fere poëtis usurpata, pro qua in oratione pedestri melius ponas: *consilium consequi*, simill.

p. 244. l. 13. *Cicero*] De Orat. I. 43.

p. 245. l. 14. *a Manlio Torquato*] Livius VII. 4. 5.

p. 245. l. 22. *Papirii*] Liv. Hist. VIII. 34.

p. 246. l. 3. a fine. *Quintilianus*] Institt. oratt. II. 10.

p. 246. l. 12. *Hesiodus*] Opp. et DD. I. v. 291. sqq.

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ,
φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ μήτ' ἄλλου ἀκούων
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

p. 247. l. 1. *Satiricus*] Juvenal. Satir. VII. v. 208. sqq.

p. 247. l. 4. a fine. *Cicero*] In Oratore ad Brutum 10. 33.

p. 247. l. 8. a fine. *Crassus*] Cicero de Orat. I. 30.

p. 247. l. 23. *Cicero*] ad Divv. III. 9.

p. 248. l. 1. *poet. princeps*] Virg. Eclog. X. v. 69.

p. 248. l. 23. *errantem Lunam*] Virg. Aeneid. I. 742.

p. 250. l. 7. a fine. *Poëta*] Apud Cicer. pro Sestio cap. 48.

p. 251. l. 3. a fine. *Maro*] Virg. Aen. VI. 137.

p. 251. l. 7. a fine. *Homerus*] Odyss. X. v. 305.

p. 251. l. 11. *Horatius*] Odd. 1. 12. v. 47.

p. 251. l. 13. a fine *Hesiodus*] Opp. et DD. I. v. 285. sqq.

τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
ῥηϊδίως· λείη μὲν ὁδός, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

p. 252. l. 6. *Philostratus*] Vit. Soph. II. c. 16. §. 5. p. 614. sq. Olear.

p. 252. l. 10. *Lasus*] Stobaei Sermo 29, p. 201. ed. Lugd. 1609; cf. Menag. ad Diog. Laert. I. 40, ubi in numero *septemdecim* sapientum ponitur.

p. 252. l. 17. *Sophocles*] Stob. Serm. 29. p. 199. ex Sophoclis *Vatibus* (apud Brunk. T. II. p. 26.):

οὔ τοι γ' ἐφίξει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου,
μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

p. 252. l. 20. *Theodectes*] Stob. Serm. 29. p. 199.

πολλὰ δεῖ μοχθεῖν τὸν ἥξοντ' εἰς ἔπαινον εὐκλεῶς.

p. 252 l. 24. *Gellius*] Noct. Att. XVI. 9.

p. 252. l. 3. a fine. *Homeri*] Odyss. IV. 611:

αἵματός εἰς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος, οἷ' ἀγορεύεις.

p. 253. l. 8. a fine. *Justinianus*] Institutt. Tit. I. Lib. I.

p. 253. l. 2. a fine. *Horatius*] Odd. III. 3. v. 7.

p. 253. l. 17. *Ciceronem*] De Orat. II. 24.

q. 254. l. 19. *Fabius*] Institt. Oratt. I. 1.

p. 254. l. 29. *Cicero*] In Oratore ad Brut. init.

p. 255. l. 4. *proxima*] Verba sunt Cicer. in Oratore ad Brut. 2. 6; cf. Plinius lib. XI. c. 20, ubi exemplo formicarum et apum docet, quid qualibet in re possit assiduitas.

p. 255. l. 8. *Tibullus*] Elegg. I. 4. v. 14.

p. 255. l. 19. *Menander*] Terent. Heaut. Act. IV, Scen. II. Vers. 8.

p. 255. l. 11. *Democritus*] Vid. Stob. Serm. 29. p. 201.

p. 255. l. 14. *Epicharmus*] Vid. Stob. Serm. 29. p. 200, ubi etiam *Antiphanis*, *Menandri* et *Philemonis* loci laudati exstant.

p. 255. l. 23. *Maro*] Virgil. Georgg. I. 446.

p. 256. l. 1. *Valerius Flaccus*] Argg. I. 76.

p. 256. l. 6. *Themistocles*] Cicero Tuscull. IV. 19.

p. 256. l. 22. *Ovidius*] Fast. IV. 434.

p. 256. l. 4.a fine. *Euripides*] In Hippolyto et Andromeda, quos locos laudat Stob. Serm. 59. p. 199.

p. 257. l. 2. *Seneca*] Herc. Fur. Act. III. v. 656. sq.

p. 257. l. 4. *Philemon*] Stob. Serm. 29. p. 199.

p. 257. l. 8. *Aeneas*] Virg. Aen. I. 202.

p. 258. l. 2. *formicas*] Plinius Hist. Nat. XI. c. 30.

p. 258. l. 10. *Hesiodus*] Opp. et DD. II. v. 501:

Οὐκ ἀεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.

p. 258. l. 5. a fine. *Plato*] Vide Platon. Theaetet. c. 26. p. 317. sqq. ed. Heindrf. p. 153. b. ed. Steph.

p. 258. l. 12. *fabulator*] Aesopi Fabb. 134. p. 104. ed. Heusing.

p. 259. l. 6. *Hesiodus*] Opp. et DD. I. v. 359:

εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.

p. 259. l. 6. a fine. *Restitit*] Virgil. Georg. IV. 490. sqq.

p. 259. l. 17. *symbolo*] De Symbolis Pythagorae ita Porphyrius: ἔλεγε δέ τινα καὶ μυστικῷ τρόπῳ συμβολικῶς, ἃ δὴ ἐπιπλέον Ἀριστοτέλης ἀνέγραψεν· οἷον ὅτι τὴν θάλατταν μὲν ἐκάλει Κρόνου δάκρυον, τὰς δ' ἄρκτους Ῥέας χεῖρας, τὴν δὲ πλειάδα Μουσῶν λύραν, τοὺς δὲ πλάνητας κύνας τῆς Περσεφόνης. Ἦν δὲ ἄλλο εἶδος τῶν συμβόλων τοιοῦτον· Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν, τοῦτ' ἔστι μὴ πλεονεκτεῖν etc.; cf. Menag. ad Diog. Laert. VIII. 17. In his posterioris generis symbolis erat etiam: ἀποδημοῦντα ἐπὶ τοῖς ὅροις ἀνεπιστρεπτεῖν.

p. 260. l. 19. *Catone*] Cicero Acadd. IV. 2. De *Socrate* v. Ciceron. de Senect. c. 8. et ad Famill. IX. 22.

ORATIO XVIII.

Petr. Johann. Perpinianus, natus in oppido Hispaniae *Elche*, provinciae Valenciae, sacerdos Jesuita, imprimis eloquentiae ecclesiasticae laude insignis, mortuus est a. 1566, vix trigesimo sexto aetatis anno egressus. Eum vel maxime celebrant Muret. Varr. Lect. XV. 1. et Ruhnken. Praef. ad Murat. Opp. T. IV.

p. 264. l. 3. *poeta*] Horatius Epist. I. 1. 2. sqq.

p. 265. l. 4. a fine. *de Ciceronis libris*] Habuit enim Perpinianus hanc orationem in gymnasio societatis Jesu Romae, quum, scholae rhetoricae praepositus, ad explicandos M. Tullii de Oratore libros aggrederetur.

p. 269. l. 10. *quando*] i. e. *quoniam*, *quandoquidem*; cf. Ramsh. Gr. Lat. §. 191. p. 850. Boetticher. Lex. Tacit. p. 113.

p. 269. l. 16. *Augustinus*] Libro quarto de doctrina christ. passim.

p. 269. l. 24. *afferat*] Accuratius dicendum erat *afferret*; vide supra p. 339. 312.

p. 276. l. 5. *deficientur*] Hic abusus in oratione pedestri vitandus est; ita Ovid. Her. V. 150; cf. Zumpt. Gr. Lat. §. 388. n.

ORATIO XIX.

Aonius Palearius (vulgo *Antonio de gli Pagliaricci*), *Verulanus*, orator, poëta, philologus, et philosophus, mox *Senensis*, mox *Lucensis*, mox *Mediolanensis*, qui librum de immortalitate animorum scripsit, crudeliter necatus est Pii V., Pontificis Maximi, jussu a. 1569.

p. 286. l. 3. a fine. *honestissime essent*] De hoc adverbii cum verbo *esse* usu cf. Ramsh. Gramm. Lat. §. 74. n.

p. 287. l. 5. *an — vel potius*] Male! Ponenda erat iterata particula *an*; cf. Beier in excursu II. §. 5. ad Cicer. Lael. p. 204. sqq. et Ochsner ad Eclgg. Cic. p. 123.

p. 289. l. 17. *Cassius*] De censore C. Cassio Longino v. Freinshemii supplem. Liv. XLVII. 35.

ORATIO XX.

Henr. Carol. Abrah. Eichstaedt, natus in Saxoniae oppido Ossitio (Oschatz) a. 1770. Scholasticis et academicis spatiis Portae et Lipsiae decursis, primum in Lips. Academia Philosophiam profiteri coepit; deinde a. 1797 Jenam invitatus ordinariam philosophiae professionem suscepit, et Walchio mortuo a. 1800 seminarii philologici director factus est atque a. 1803 Professor Eloquentiae et Poëseos. Hoc munere etiam nunc fungitur et Academiam Jenensem sua doctrina et gloria ornat. Kraft. ad Epist. Wyttenbach. etc. p. 345.

p. 292. l. 17. *Noltenii*] *Johannes Fridericus Noltenius* Einbeccensis, Grammaticus et Philologus scholae Scheningensis prope Helmstadium, natus a. 1694, mortuus a. 1754, scripsit de *barbarie imminente* et edidit egregium *Lexicon latinae linguae antibarbarum*.

p. 293. l. 25. *Saxio*] *Christophorus Saxe*, ortus vico Saxoniae Eppendorf prope Chemnitium, natus 1748, mort. 1806, vir propter accuratam cognitionem omnis antiquitatis et historiae, imprimis literariae, nobilis, quem Wyttenbachius praedicat *Literarum Nestorem* Bibl. Crit. 12. p. 14. Praeter cetera praecipue *Onomasticum literarium* a Saxio editum laudandum est. Fuit autem per multos annos Professor Academiae Ultrajectinae.

p. 294. l. 6. *deprecationem*] cf. Quintil. VII. 4, ubi *deprecatio* est causae genus, in qua omnia pre-

cibus aguntur neque ullus defensioni locus est. Proprie *deprecatio* est *vehemens* precatio; cf. annot. ad Caes. G. I. 9.

p. 294. l. 9. *Augustanam confessionem*] Dicitur enim quotannis in Academia Jenensi in memoriam Augustanae Confessionis oratio, ad quam audiendam a. 1821 Eichstadius hac prolusione de latinitate academica invitabat.

p. 297. l. 5. *scientiarum*] Dicendum enim est *literarum*, de qua re monui supra p. 338.

p. 297. l. 20. *Cicero*] Cic. orat. pro P. Sulla c. 42.

p. 297. l. 23. *in doctores promovere*] Verbum enim *promovere* non raro dicitur de acie, de castris, sensu hostili; cf. Liv. 18. 44. Unde apparet, quam barbara et absona sit dictio *promovere in doctores*.

Bayerische Staatsbibliothek München

OPERARUM ERRORES.

P. 6. l. 10. post *abjicere* ponatur signum interrogationis.
— 6. l. 5. a fine post *conditoris* desideratur comma.
— 19. l. 8. post *gratissimo* ponatur comma.
— 28. l. 6. scribatur *et* pro *ei*, et l. 8. post *dilexi* ponatur signum interrogationis.
— 29. l. 12. pro *dicessu* legatur *discessu.*
— 31. l. 14. post *tribuamus* ponatur comma.
— 34. l. 7. a fine pro *ratione* leg. *rationi.*
— 35. l. 8 post *ut* ponatur comma.
— 40. l. 10. a fine post *traducas* ponatur signum interrogationis.
— 49. l. 12. a fine pro *proficiamur* legendum est *proficiamus*, et paulo infra *nomine* pro *nomino.*
— 65. l. 2. pro *institutiones* legatur *institiones.*
— 70. vers. fin. leg. *deditissima.*
— 74. l. 22. leg. *labefactare.*
— 79. l. 20. ante *immortalitati* inserendum est *peccanti.*
— 92. l. 21. post *contrectare* ponatur distinctio maxima.
— 137. l. 10. post *teneretur* ponendum est semicolon.
— 138. l. ult. leg. *is vero, se eloq.*
— 142. l. 8. post *veniat* ponatur comma.
— 142. l. 11. a fine pro *quorum* scribatur *quocum.*
— 144. l. 14. post *me* delenda est distinctio.
— 146. l. 9. leg. *con-* pro *cor-*.
— 150. l. 8. leg. *per hos duumviros.*
— 158. l. 22. leg. *eloquentiam a poetica, tamquam a parente filiam, ortam.*
— 164. l. 11. pro *so* leg. *se.*
— 167. l. 13. leg. *intelligentiam.*
— 169. l. 22. post *ipsa* ponatur comma.
— 171. l. 1. pro *tantum* scribatur *tandem*, et l. 5. post *sapiens* ponatur comma.
— 173. l. 2. deleatur comma post *Ticinum.*
— 174. l. 17. leg. *Antiolochus.*
— 175. l. 6. deleatur comma post *incendia.*
— 179. l. 25. deleatur comma utrumque.
— 184. l. 11. leg. *illius.*
— 192. l. 3. a fine leg. *ad virt.*, et l. ult. *spectat.*
— 194. l. 4. a fine leg. *inveteraverit.*
— 197. l. 1. distinguendum est *ut, ne.*
— 202. l. 4. a fine leg. *enodandum.*
— 203. l. 7. leg. *structura.*
— 205. l. 3. a fine deleatur comma ante *id.*

P. 206. l. 2. a fine deleatur comma post *isti*, et l. ult. post *habet* ponatur semicolon.
— 207. l. 15. post *pulchra* ponatur comma.
— 219. l. 17. post *vobis* ponatur comma.
— 227. l. 8. a fine leg. γρὺ non γρῦ.
— 235. l. 6. pro *penderint* leg. *impenderint*.
— 237. l. 4. leg. *pueritia*.
— 238. l. 10. leg. *Quid hoc, pater, est.*
— 239. l. 5. ante *ita* inseratur *non*.
— 240. l. 5. leg. *amplectuntur*.
— 242. l. 14. leg. *attulerunt*.
— 245. l. 6. pro *vere* leg. *fere*.
— 250. l. 7. Ita scribendum est:

Te id, quod multi invideant multique expctant, inscitia est,
Postulare, si laborem summa cum cura ecferas Nullum.

— 252. l. 10. leg. *Lasus*, non *Lassus*.
— 254. l. 10. leg. *existimant*.
— 256. l. 8. leg. *tropaea*.
— 257. l. 5. post *perciperet* ponatur comma, non colon.
— 257. l. 14. leg. *Quid? si*, et l. 15. *nullam*.
— 266. l. 4. a fine post *notat* ponatur semicolon.
— 271. l. 9. et 10. leg. *dialecticae* et *eloquentiae*.
— 277. l. 15. a fine ante *sed* ponatur semicolon.
— 279. l. 7. a fine leg. *agant*.
— 280. l. 5. a fine leg. *vestri*.
— 284. l. 21. ita interpungatur: *Quid Graecas res publicas, quae.*
— 288. l. ult. leg. *seminibus*.
— 290. l. 4. a fine inter *ego* et *quod* ponatur comma.
— 294. l. 3. leg. *reprehendendique*.

In den Groos'schen Buchhandlungen zu Freiburg, Carlsruhe und Heidelberg sind erschienen:

Baumstark, A., Dr. Prof., Index prosodiacus latinæ linguae antibarbarus. Ein Anhang zu jeder lateinischen Schulgrammatik. gr. 8. geh. 36 kr. oder 8 gr.

Baumstark, A., Lectiones Tullianae. Programm gr. 8. 27 kr. oder 6 gr.

Caesaris, Caji Julii, Commentarii de bello gallico et civili. Für die Schüler der mittleren Klassen deutscher Gymnasien bearb. von Prof. Dr. Baumstark. gr. 8. fl. 3. 36 kr. oder Thlr. 2.

Bei Einführung in Schulen wird ein Parthienpreis zu fl. 2. gestattet, wenn man sich direkt an die Verlagshandlung wendet.

— — Commentariorum de bello gallico *interpretatio graeca Maximi* quae fertur *Planudis* post Godofr. Jungermanum, Joan. Davisium, Nic. Elig. Lemaireum denuo, separatim autem nunc primum edidit et brevi annotatione critica instruxit Prof. A. Baumstark. fl. 1. 48 kr. oder Thlr. 1.

Grundriſs der alten und neuen Geographie. Ein Lehrbuch für die unteren und mittleren Klassen der Gymnasien und Lyceen, für die Schüler der Pädagogien und lateinischen Schulen, so wie für höhere Bürgerschulen und Schullehrer-Seminarien. Aus dem Französischen des Herrn Letronne nach der sechzehnten Original-Ausgabe bearbeitet von Prof. Dr. A. Baumstark. 8. 1833. fl. 1. 30 kr. oder 20 gr.

Indices Attici oder praktische Anleitung zur richtigen Messung und Aussprache der griechischen Penultima, mit besonderer Berücksichtigung der attischen Dichter. Aus dem Englischen bearbeitet von Prof. Dr. A. Baumstark. 8. 1833. 54 kr. oder 12 gr.

Aristotelis Categoriae Textum adhibitis Ammonii, Simplicii et Boëthii commentariis, recognovit, Graeca in Latinum convertit, lect. variet. annot. explicatam, praeparationem indicemque verborum adjecit Dr. E. A. Lewald, Prof. Heidelberg. gr. 8. 1824. Auf Druckvelin. geheftet fl. 1. 30 kr. oder 20 gr.

Beurtheilung des Welte'schen Lehrgangs in der Schule zu Steinbach bei Bühl. Von einem badischen Schulmann. 8. 18 kr. oder 4 gr.

Borja, F. v., Lehrer der französischen Sprache, Syllabaire méthodique, oder neues methodisches Buchstabierbuch der französischen Sprache, zur schnellen Erlernung einer richtigen Aussprache und Wortbildung für Kinder 8. 1830. geh. 24 kr. oder 5 gr.

Ciceronis, M. Tullii, de Re publica quae supersunt, ad Exempl. Rom. fidem accurate edita. 12. 1823. Auf Druckvelin, geheftet 40 kr. oder 10 gr.

Eisenlohr, Ch. J., Geheimer Rath, Irene, oder Versuche zur Vermittlung der philosophischen Systeme. In Briefen. gr. 8. 1831. fl. 1. 30 kr. od. 20 gr.

Fortlage, Dr. C., die Lücken des Hegel'schen Systems der Philosophie, in einer Reihe von Abhandlungen. gr. 8. 1832. fl. 1. 12 kr. oder 16 gr.

Frühauf, J., Kurzgefasste italienische Sprachlehre für Deutsche. Nebst Uebungen zur Anwendung der gegebenen Regeln und einem Wörterverzeichnifs. gr. 8. 1834. fl. 1. 30 kr. oder 20 gr.

Göbel, Dr. J. F., Prof., Geometrie für Gewerbeschulen. Mit 9 Tafeln in Folio. gr. 8. 1834. fl. 1. 30 kr. oder 20 gr.

Hanno, Raphael, Dr. und Prof., die hebräische Sprache für den Anfang auf Schulen und Universitäten, zunächst zum Gebrauche bei seinen Vorlesungen in 2 Abtheilungen, 1825 bis 1828. fl. 2. 24 kr. oder Thlr. 1. 8 gr.

Hausrath, A., Diaconus, eine Epistel aus den Bergen, an die Prediger **Hennhöfer**, **Käfs**, **Dietz**, **Hager**, **Frommel**, **Haag** und **Mann**. Zum Frommen aller aufrichtigen Christen der Oeffentlichkeit übergeben. 8. 1831. geh. 12 kr. oder 3 gr.

Heusde van, Ph. W., Prof. in Utrecht, Briefe über die Natur und den Zweck des höheren Unterrichts. Aus dem Holländischen nach der zweiten Ausgabe übersetzt von J. Klein, mit einer Vorrede begleitet von F. H. C. Schwarz, Dr. der Theologie und Geh. Kirchenrath. gr. 8. 1830. fl. 2. 24 kr. oder Thlr. 1. 8 gr.

Kärcher, K., Professor, historisch-geographischer Schulatlas in 38 Karten. Querfolio. fl. 3. oder Thlr. 1. 16 gr.

Krebs, J. Ph, praktische Metrik der lateinischen Sprache in Beispielen zum Lesen und Nachbilden der vorzüglichern bei den Alten vorkommenden Sylbenmaafse, zum Gebrauche für Gelehrten-

Schulen; ein Anhang zu jeder lateinischen Metrik. gr. 8. 1827. 54 kr. oder 12 gr.

Krebs, J. Ph., Anhang für Lehrer zur lateinischen Metrik. gr. 8. 1827. 9 kr. oder 2 gr.
Bei der Einführung in Schulen wird ein Parthienpreis zu 36 kr. oder 8 gr. gestattet, wenn man sich direkt an den Verleger wendet.

Leuchsenring, W. L. F. G., methodisch geordnete Uebungen aus dem Französischen ins Deutsche, und aus dem Deutschen ins Französische; nebst einer Erklärung der in den Uebungen über die Declinationen und Conjugationen vorkommenden Wörter. 1r. Cursus. Formenlehre gr. 8. 1828. 36 kr. oder 8 gr.

—— Friedr., petit Théatre des jeunes personnes, suivi d'un recueil de lettres pour servir de modèles du style épistolaire. 8. 1829.
geb. fl. 2. oder Thlr. 1. 3 gr.
geh. fl. 1. 48 kr. oder Thlr. 1.

Müller, J. W., Oberlehrer und Subrektor der lateinischen Schule zu Landau, Zustand der lateinischen Schulen (Progymnasien) des Königreichs Baiern, besonders im Rheinkreise, in Beziehung auf den neuen Studienplan. Den versammelten Ständen zur Beherzigung vorgelegt. gr. 8. 1831.
18 kr. oder 4 gr.

Plutarchi Alcibiades, Textum e. Codd. Paris. recognovit, notisque et indicibus instruxit J. Christ. Fel. Bähr, ph. Dr. et Professor ord. 8. maj. 1822.
ord. Papier fl. 2. 42 kr. oder Thlr. 1. 12 gr.
weifs Papier fl. 3. oder Thlr. 1. 16 gr.
Velinpapier fl. 3. 36 kr. oder Thlr. 2.

Preuschen, A., Badische Geschichte für alle Stände, mit steter Beziehung auf die gemeinsame Geschichte der Deutschen. Nebst einer Schilderung der physischen Verhältnisse des Grofsherzogthums Baden und einer dieselben darstellenden lithogr. Karte. gr. 8. 1834. Ein Band von 36 bis 40 Bogen in gr. 8. In 10 Lieferungen: Erster Subscriptionspreis bis Ende Juli 12 kr. per Lieferung. Zweiter Subscriptionspreis bis zur Vollendung des Werks 18 kr. per Lieferung, welcher mit dem Erscheinen der 3ten Lieferung eintritt.

Rickli, K., Pfarrer, Johannis erster Brief, erklärt und angewendet in Predigten; gehalten vor der evangelisch-reformirten Gemeinde zu Luzern, mit historischem Vorbericht und exegetischem Anhange. gr. 8. 1828. Luzern. netto fl. 3. oder Thlr. 1. 16 gr.

Rink, K. F., über die Einheit der mosaischen Schöpfungsberichte. 8. 1823. 8 gr. oder 36 kr.

Schlatter, G. F., Pfarrer, Vertheidigung des neuen Katechismus der vereinigten Kirche Badens gegen die Angriffe einiger Geistlichen, nebst Beurtheilung der theologischen Glaubensmeinung derselben. 8. 1831. geh. 36 kr. oder 8 gr.

Stern, W., (Prof. am evangelischen Schullehrerseminar in Karlsruhe), Lehrgang des Lautierunterrichtes in Verbindung mit dem Schreiben nach geistbildenden Grundsätzen; nebst einem Lautierwörterbuch und einer Anleitung zu den ersten Stimm- und Reihenübungen. 8. 1832. 54 kr. oder 12 gr.

—— die ersten freien Sprech- und Aufschreibübungen, als Vorbereitung für die Stilbildung und den deutschen Sprachunterricht. 8. 1832. 45 kr. oder 10 gr.

—— die Begründung, Unterscheidung und Uebung der ersten und wesentlichen Sprachbegriffe, als Vorschule zum deutschen Sprachunterricht. 8. 1832. 45 kr. oder 10 gr.

—— deutsche Formen- und Satzlehre. 8. 1834. fl. 1. 12 kr. oder 16 gr.

—— Erfahrungen, Grundsätze und Grundzüge für biblisch christlichen Religionsunterricht, mit Würdigung der Beschaffenheit dieses Unterrichts in gegenwärtiger Zeit. 8. 1833. geh. 36 kr. oder 8 gr.

—— erstes Spruchbuch für christliche Schulen, und zugleich biblisches Gedenkbuch für jeden Christen und für christliche Haushaltungen. 8. 1833 geh. 24 kr. oder 6 gr.

—— geschichtliches Spruchbuch, zur Wiederholung der biblischen Geschichte für christliche Schulen; auch zum richtigen Schriftverständnifs und zur Belehrung für erwachsene Christen. 8. 1834. 54 kr. oder 12 gr.

Volz, Dr. L., (Professor des Maschinenbaues etc. an der polytechnischen Schule), Lehrbuch des Maschinenbaues, für Vorlesungen an technischen Anstalten und zum Selbstunterricht. Mit einem Kupferatlas. gr. 4. (Erscheint 1835.)

Walchner, D. F. A., (Professor der Chemie und Mineralogie), Handbuch der gesammten Mineralogie in technischer Beziehung, zum Gebrauche bei seinen

Vorlesungen und zum Selbsstudium; mit besonderer Berücksichtigung der mineralogischen Verhältnisse des Grofsherzogthums Baden. 2 Bde. (1r Band. Oryktognosie. Mit 4 Tafeln. 2r. Bd. Geognosie. Mit 11 Tafeln.) gr. 8. 1829 und 1833. fl. 12. oder Thlr. 6. 16 gr.

Auch unter den Titeln:

—— Handbuch der Oryktognosie, zum Gebrauche bei seinen Vorlesungen und zum Selbstunterricht. Mit 4 Steintafeln. gr. 8. 1829. cartonirt. fl. 5. 24 kr. oder Thlr. 3.

—— Handbuch der Geognosie, zum Gebrauche bei seinen Vorlesungen und zum Selbstunterricht. Mit 11 Steintafeln (davon 9 in Folio). gr. 1833. cartonirt fl. 8. 6 kr. oder Thlr. 4. 12 gr.

—— H., über die Lectüre, ihren Nutzen und die Vortheile sie gehörig anzuwenden. Nach dem Lateinischen des P. Sachini deutsch bearbeitet und mit einem Anhange begleitet. 8. 1832. geh. 54 kr. oder 12 gr.

Was hat Würtemberg in Beziehung auf seine öffentlichen Unterrichts-Anstalten zu hoffen? 8. 1830. 18 kr. oder 4 gr.

Wörterbuch der englischen und deutschen Sprache, mit besonderer Rücksicht auf die richtige Aussprache für Deutsche, von Gratz, Professor. In zwei Theilen. 1r. Theil, Englisch und Deutsch. 16. 1834. geh. fl. 3. 36 kr. oder Thlr. 2.

Der zweite oder Deutsch-Englische Theil erscheint 1835.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Baumstark, Anton,

Orationes latinae virorum recentioris aetatis disertissimorum in usum iuventutis literarum studiosae collegit et brevi annotatione ...

Friburgum 1835

P.o.lat. 1664 g
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10609664-5